Martin IV
fasc 1

2 ser
16

INCIPIT REGESTRUM LITTERARUM PRIMI ANNI

DOMINI MARTINI PAPE IIII

---

1 Orvieto, s. d.

Archiepiscopo Senonensi ejusque suffraganeis nunciat se Viterbii, in festo Cathedrae Apostolorum Principis, ad Summi Apostolatus apicem concorditer ac unanimiter electum fuisse. — (Reg. 41, fol. 1; ann. I, nº 1; — Potthast, *Regesta pontificum Romanorum*, nº 21740.)

« *Martinus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus. Archiepiscopo Senonensi ejusque suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.* Incomprehensibilia Dei juditia et investigabiles vie ejus grandem nimirum stuporem considerantibus ingerunt et causam profecto non levis admirationis inducunt. Quis enim in illorum consideratione non stupeatur? Quis non stupendo miretur et timeat illa judiciorum secreta celestium, quorum ordinem non datur nosse mortalibus aut in terra ponere rationemur, quorum misteria mens humana nec investigando comprehendere sufficit, nec considerando discutere vel manifestare loquendo? Quis, inquam, absque stupore ac terrore latentes cotidianorum eventuum previsiones attendatur? Quis intelligere valeat discretam lancem equitatis occulte, qua ille in quo sibi misericordia et veritas obviarunt, qui Ecclesie quam non solum misericorditer sed mirabiliter suo sanguine pretioso fundavit, et in adeo solida firmitate petre inviolabilis stabilivit, ut portis Inferi et mortis legibus prevaleret, suam in sanctis apostolis promisit omnipotentiam usque ad consumationem seculi, assistricem ipsam humano judicio quodam modo derelinquens, eam tam frequentium vacationum et aliquando etiam diffusarum vexari permittit incomodis et in substituendi pontificis expectatione languere? Qua ipse idem sapientissimus ponderator, qui sua ineffabili sapientia in statera rectissima merita singulorum appendit, et unicuique secundum opera sua reddit illius regimen, et si justa nobis, tamen ignota et miranda libratione dispensans, illud sic libra inscrutabilis dispensationis alternat, ut is subtrahatur interdum cui suppetebat in habundantia fortitudo virtutum, cujus vita subditis profutura sperari poterat eo ipso longevior ad dandam salutis scientiam plebi sue : substituatur vero qui se potest non indigne fateri, et virtutum inopia debilem et alias imparem ad summi pontificii sarcinam supportandam. Hujusmodi subtractionem in obitu felicis recordationis Nicolai pape predecessoris nostri, cujus longe lateque fama claruit, emicuit vita, experientia et prudentia eminebat, eadem perpessa mater Ecclesia viduitatis angustias aliquandiu peramare deflevit. Substitutionem autem pretacte non absimilem in nostra vocatione ad apostolatus officium, cujus seriem subscripta describunt, nos ex nostrorum consideratione defectuum in humilitatis spiritu profitemur. Memorato siquidem predecessori nostro, prout Domino placuit, ab hac luce subtracto, ejusque corpore delato ad Urbem, ibique in Apostolorum Principis basilica, ubi sepeliri delegerat, cum exequiarum sollempnitate debita tumulato, nos et fratres nostri ancxii de vacatione ipsius Ecclesie Viterbii, ubi tunc Romana residebat curia, in episcopali palatio concordi voto convenimus, provisioni ejusdem Ecclesie propensiorem daturi operam, prout necessitas exigebat. Circa hoc autem pluribus tractatibus habitis, post ali-

quanti temporis moram, quam casus varii et diverse circumstantie induxerunt, demum in festo Cathedre ipsius Apostolorum Principis, iidem fratres nostri per viam scrutinii ad electionem celebrandam electam concorditer in nos tunc tituli Sancte Cecilie presbyterum cardinalem unanimiter concordantes, ad summi apostolatus apicem et ipsius cathedre nos elegere conscensum. Quam nos, ut est speculam, extimantes eo non immerito altitudinis grandioris quo eidem insidens constitutus super omnia speculator locatus altius, prospectare longius, cuncta speculari tenetur attentius, et totius orbis ambitum cure sue commissi non tam presentia quam providentia circuire, extirpare vitia, virtutes inserere, pro juribus ecclesiarum obviare periculis, providere com[m]odis et saluti specialiter intendere animarum status, eminentiam et immensitatem im[m]inentis oneris pensabamus. Tanto ex hujusmodi vocatione redditi, proinde magis attoniti quanto ab altioris gradus appetitu fueramus ab olim fixo proposito alieni arbitrati semper, tutioris fore consilii nobis altiora non querere, in domo Domini humiliter habitando de propria salute curare, quam periculose super universalem omnium curam erigi, et ad tanti fastigii sollicitudinem elevari. Hinc insufficientie nostre consideratio contrahebat animum, et a tanti assumptione laboris dexteram retrahebat, suadebat instantius potius tante molis pondus effugere, quam eorundem fratrum instantie consentire. Verum in contrarium conscientia suadente non esse vocationi Domini, quam tanto verisimilius eorundem fratrum, adeo unanimis concordia pretendebat quanto diutius ipsorum fuerant vota discordia contumaciter resistendum, ne ipsa Dei Ecclesia eo prolixius viduitatis dispendiis gravaretur quo alias spes erat incertior de ipsius provisione vicina, tandem, variis allegatis excusationibus nec admissis, sed ab eisdem fratribus in eo fervore voluntatis ancxie importunitatisque multimode obauditis, ut manus ad exuendum nos clamidem qua tegebamur extenderint nec ipsius rupture pepercerint, sub spe unigeniti Dei filii Domini Jesu Christi humilitatis nostre colla subjecimus jugo apostolice servitutis, de sua pietate sperantes quod ipse qui juxta evangelicam veritatem quinque panum duorumque piscium paucitatem satietati discumbentis ad jussum ipsius immense multitudinis cum mira fragmentorum superhabundantia coequavit, nostre imbecillitatis insufficientiam sua immensa virtute quali (1) saltem sufficientie tanti oneris et laboris equabit. Ad quod de sua misericordia obtinendum nostrarum orationum suffragia ferventi desiderio imploramus, universitatem vestram monentes et hortantes in Domino vosque nichilominus rogantes instanter, quatinus preces humiles, devotas et sedulas frequenter fundatis ad Dominum, ut ipse in ubertate sue clementie pretactam nostram inopiam suppleat, debilitatem fulciat, nobisque quod est onerosum leviget, quod laboriosum alleviet, quod obscurum sue claritatis luce revelet, et aspera convertat in plana, sicque vota nostra preveniendo clementer aspiret et misericorditer adjuvando benignius prosequatur quod zelus noster semper in ipsius beneplacitis ferveat, nec unquam in illorum executione torpescat; vos quoque, quos de gregibus diligentie vestre commissis pastoralis officii cura sollicitat, ita diligenter illud studeatis implere quod cum discussio venerit, et exacti fueritis pro illis reddere rationem, non solum illam cum securitate reddatis, sed exigentis gratiam et interim in vestris ecclesiarumque vestrarum negotiis super quibus potestis ad nos cum securitate recurrere, Apostolice Sedis propitium mereamini sentire favorem, Ceterum, quia, sicut intelleximus, portitores hujusmodi litterarum interdum esse consueverunt, contra intentionem mittentium, exactores nunc importune petitionis instantia, nunc etiam murmurationum sussurris ac detractionum et querelarum comminationibus exigendo, scire nos volumus quod nostre intentionis existit, latoresque presentium jurare fecimus quod ad exigendum vel obtinendum aliquid preter ea que ad victum et ob infirmitatis ac aliōs casus necessaria, per alias ejus sub certa forma litteras, quas nobis exiberi mandamus, ministrari precipimus, talibus instantiis, murmurationibus, detractionibus seu comminationibus non utantur, nec recipere per instantias, murmurationes vel comminationes hujusmodi oblata presumant. Ideoque, ut nostris in hoc intentioni et beneplacitis concurratis, prefatis eorum abusionibus ceterisque similibus si forsan eis, quod non est verisimile, uti presumerent contra proprium juramentum comtemptis, omnino vos ultra premissa ipsis nostro ministranda mandato tribuendo aliquid non gravetis, cum non per extorsiones hujusmodi, sed alias retributione congrua, intendamus ipsorum laboribus respondere. Datum apud Urbemveterem. »

(1) Ce mot est répété deux fois dans le Registre.

2 Viterbe, 28 février 1281.

In Compostellana ecclesia, per obitum Gundisalvi archiepiscopi nuper apud Sedem Apostolicam decedentis vacante, provisionem faciendam eidem Sedi reservat. — (Reg. 41, fol. 2 v°; ann. I, n° 2.)

« *Martinus, electus episcopus*, etc. — *ad futuram rei*

memoriam. Solent dissentiones in prelatorum electionibus, saltem ex naturali ad dissentiendum facilitate hominum frequentius incidentes, provisiones ecclesiarum, non sine multis ipsarum spiritualibus et temporalibus inco[m]modis, diffusius impedire. Hoc itaque in Compostellana ecclesia vacante per obitum bone memorie Gundisalvi Compostellani archiepiscopi nuper apud Sedem Apostolicam decedentis consultius vitare volentes, ne ipsa que gravibus dicitur hiis temporibus attrita molestiis per diffusioris vacationis angustias gravius atteratur, ex consideratione diversarum circumstantiarum status ipsius inducti, provisionem in ea de archiepiscopo faciendam hac vice Sedi Apostolice de fratrum nostrorum consilio reservamus, decernentes ex nunc irritum et inane si secus de provisione ipsa per quoscumque scientes vel ignorantes reservationem sive decretum hujusmodi quomodocumque fuerit attemptatum. Nulli ergo etc. .. nostre reservationis et constitutionis etc. Nec miretur aliquis quod bulla non exprimens nomen nostrum est appensa presentibus, que ante consecrationis et benedictionis nostre sollempnia transmittuntur, quia hii, qui fuerunt hactenus in Romanos electi pontifices, consueverunt in bullandis litteris ante sue consecrationis et benedictionis munus, modum hujusmodi observare. Dat. Viterbii, II kalendas martii, suscepti a nobis Apostolatus offitii anno primo. »

3 Viterbe, 28 février 1281.

Abbati monasterii Sancti Pelagii de Antealtaria Compostellani et archidiacono de Avaneis in ecclesia Lucensi mandat quatinus decano et capitulo ecclesiae Compostellanae inhibeant ne aliquid contra supradictam reservationem attemptent. — (Reg. 41, fol. 2 v°; ann. I, n° 3.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Pelagii de Antealtaria Compostellani, et .. archidiacono de Avaneis in ecclesia Lucensi.* Solent dissensiones etc. ut in proxima superiori verbis competenter mutatis, usque attemptatum. Verum ne de facto .. decanus et capitulum ejusdem ecclesie super provisione ipsa forte procedant, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel per alios seu alium in ecclesia memorata, dictis decano et capitulo convocatis, reservationem et decretum hujusmodi publicantes, ipsis nichilominus ex habundanti districtius inhibere curetis, ne aliquid contra reservationem et decretum eadem quomodolibet attemptare presumant. Nec miremini quod bulla etc. usque observare. Dat. ut supra. »

4 Orvieto, 20 avril 1281.

Praeposito ecclesiae Pratensis, capellano suo, collectori decimae in Tuscia ac Maritima Terrae Sanctae subsidio deputatae, mandat quatinus pecuniam ratione dictae decimae collectam ac apud locum fratrum Praedicatorum civitatis Senensis depositam quibusdam certis mercatoribus Senensibus assignet. — (Reg. 41, fol. 2 v°; ann. I, n° 4.)

« *.. preposito ecclesie Pratensis, capellano nostro, collectori decime in Tuscie ac Maritime partibus Terre Sancte subsidio deputate.* Cum propter dissensiones et scandala que in civitate Senensi, procurante pacis emulo, sepius suscitantur, pecunia collecta per te in Tuscie Maritimeque partibus ratione decime Terre Sancte subsidio inibi deputate, quam pridem apud locum fratrum Ordinis Predicatorum civitatis ejusdem, de mandato, ut dicitur, felicis recordationis Nicolai pape, predecessoris nostri, deponere curavisti, non possit, prout nuper accepimus, cum securitate servari, nos, omne submoveri cupientes obstaculum per quod prefatum sub[si]dium quovis modo diminui valeat seu etiam impediri, ac de fidelitate probata et experta industria dilectorum filiorum Tholomei Manenti, et Bandi Yldebrandi mercatorum de societate Bonaventure Bernardini et Jacobi Raynucini civium et mercatorum Senensium, plenam in Domino fidutiam obtinentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad civitatem predictam, sublato cujuslibet dilationis et difficultatis objectu, te personaliter conferens, pecuniam supradictam eisdem mercatoribus, vel alii de societate predicta, nostro et Ecclesie Romane nomine, studeas sine diminutione qualibet assignare, per eos nobis in Romana curia vel alibi, prout de beneplacito nostro processerit, assignandam seu etiam exhibendam; quid autem, quantum et quando mercatoribus prefatis per te in hac parte assignare contingerit, nobis per tuas spetiales litteras fideliter exponere non omittas, et nichilominus de assignatione hujusmodi duo publica confici facias instrumenta quorum alterum tibi retineas, reliquum nobis per fidelem nuntium quantotius transmissurus. Nos vero, dilectis filiis .. priori et fratribus supradictis per alias litteras nostras injungimus ut tibi sepedictam pecuniam difficultate submota qualibet totaliter assignare procurent. Dat. apud Urbemveterem, XII kal. maii, pontificatus nostri anno primo. »

5 Orvieto, 20 avril 1281.

Priori et fratribus ordinis Praedicatorum Senensibus man-

dat quatinus supradictam pecuniam supradicto collectori assignent. — (Reg. 41, fol. 3; ann. I, n° 5.)

« .. *priori et fratribus ordinis Predicatorum Senensibus.* Cum propter dissensiones —. Dat. ut supra. »

6 Orvieto, 5 avril 1281.

Dumblanensi et Ergadiensi episcopis committit quatinus, juxta petitionem nobilis viri Hugonis de Abirnithin, cum dicto Hugone ac Maria uxore ejus quod quarto consanguinitatis gradu non obstante in contracto matrimonio licite remanere valeant, dispensent. — (Reg. 41, fol. 3; ann. I, n° 6; Potthast n° 21741.)

« *Venerabilibus fratribus .. Dumblanensi et .. Ergadiensi episcopis.* Lecta nobis dilecti —. Dat. apud Urbemveterem, nonis aprilis, anno primo. »

7 Orvieto, 6 mai 1281.

Episcopo Cassanensi collectori decimae in Calabria ac Sicilia deputato mandat quatinus infra unius mensis spatium cum instrumentis quibuslibet ad hujusmodi decimae collectionem pertinentibus coram papa, rationem plenariam redditurus, comparere procuret. — (Reg. 41, fol. 3; ann. I, n° 7.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Cassanensi collectori decime in Calabrie ac Sicilie partibus deputato.* Statum negotii decimalis. — Dat. apud Urbemveterem, II nonas maii, anno primo. »

8 Orvieto, 9 mai 1281.

Alcampo praeposito Pratensi capellano suo, collectori decimae in Tuscia ac Maritima deputato mandat quatinus infra quindecim dierum spatium, cum omnibus instrumentis hujusmodi decimae collectionem contingentibus coram papa, de collectione praedicta rationem plenariam redditurus, comparere procuret. — (Reg. 41, fol. 3; ann. I, n° 8.)

« *Alcampo preposito Pratensi capellano nostro, collectori decime in Tuscie ac Maritime partibus deputato.* Statum negotii decimalis. — Dat. apud Urbemveterem, VII idus maii, anno primo. »

9 Orvieto, 21 mai 1281.

Universis per partes Tusciae Romano subjectas imperio, cum R., rex Romanorum, Gurcensem episcopum et Rudolfum imperialis aulae cancellarium in dictis partibus vicarios generales ordinaverit, mandat quatinus praedictos vicarios devote recipiant ac eorum monitis humiliter obediant. — (Reg. 41, fol. 3 v°; ann. I, n° 9; Potthast n° 21757.)

« *Dilectis filiis universis marchionibus, comitibus et aliis magnatibus necnon potestatibus, capitaneis cunctisque rectoribus, consiliariis ac universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum ceterisque per partes Tuscie Romano subjectas imperio.* Etsi Romanum imperium —. Dat. apud Urbemveterem, XII kalendas junii, anno primo. »

10 Orvieto, 13 mai 1281.

Guillelmo Duranti, decano ecclesiae Carnotensis indulget ut deinceps, apud Sedem Apostolicam vel alibi ejusdem Sedis obsequiis de ipsius mandato insistendo, proventus decanatus et praebendarum quos in ecclesia Carnotensi obtinet percipere valeat nec interim ad residendum in praefata ecclesia personaliter teneatur. — (Reg. 41, fol. 3 v°; ann. I, n° 10.)

« *Magistro Guillelmo Duranti, capellano nostro, decano ecclesie Carnotensis.* Tue probitatis merita grataque devotionis obsequia que in commissis tibi ab Apostolica Sede negotiis eidem Sedi studiose impendisse dinosceris nos indicunt ut personam tuam condignis gratiis honoremus. Volentes igitur tibi gratiam facere spetialem, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut deinceps, apud Sedem ipsam vel alibi ejusdem Sedis obsequiis de ipsius mandato insistendo, fructus, redditus et proventus decanatus et prebendarum quos in ecclesia obtines Carnotensi cum ea integritate percipere valeas, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes si personaliter in eadem ecclesia resideres, nec interim ad residendum in prefata ecclesia personaliter tenearis, neque ad id a quoquam valeas coartari : non obstantibus quod primam in eadem ecclesia personalem residentiam non fecisti aut contrariis ejudem ecclesie statutis vel consuetudinibus, et illa presertim qua inibi est obtentum ut quicumque personatum, dignitatem vel prebendam in ecclesia ipsa obtinens, primam residentiam non fecerit in eadem, fructus sui beneficii seu prebende ejusdem ecclesie percipere nequeat ac foraneus reputetur, nec super hoc aliquas litteras a predicta Sede per se vel per alium impetret, nec utatur etiam impetratis, etiam si sint eadem statuta et consuetudines juramento tuo et canonicorum ipsius ecclesie, seu quacumque firmitate alia roborata, a quorum observatione tam te quam dictos canonicos quantum ad hoc duximus absolvendos, et qui-

buslibet privilegiis seu indulgentiis apostolicis, quorum cumque tenorum existant, per que effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differi, et de quibus plena et expressa ac de verbo ad verbum in nostris litteris mentio sit habenda. Nulli ergo, etc. nostre concessionis et absolutionis, etc. Dat. apud Urbemveterem, III idus maii, anno primo. »

Orvieto, 14 mai 1281.

In eundem modum Petro de Pofis, archidiacono Cusentino, et Archioni de Urbe, canonico Leodiensi, mandat quatinus Guillelmo Duranti supradictos fructus, redditus et proventus faciant integre ministrari. — (Reg. 41, fol. 3 v°.)

In e. mo. dilectis filiis magistro Petro de Pofis archidiacono Cusentino et Archioni de Urbe canonico Leodiensi. Dilecti filii magistri —. Dat. apud Urbemveterem, II idus maii, anno primo.

11 Orvieto, 24 mai 1281.

Instrumenta conventionum inter regem Rudolfum et regem Carolum de comitatibus Provinciae ac Forcalkierae habitarum, et mandatorum procuratoriae a dicto Rodulfo Johanni episcopo Gurcensi et Rodulfo cancellario datorum transumit dictisque partibus restituit. — (Reg. 41, f° 4, n° 11; Posse, n° 1032; Kaltenbrunner, *Actenstücke zur geschichte des deutschen Reichs unter den Königen Rudolf I und Albrecht I*, Vienne, 1889, in 8°, n° 233, p. 243).

« *Littere conventionales habite inter Rudolfum Romanorum et Carolum Sicilie reges illustres.* Martinus, etc. Ad futuram rei memoriam. Dudum super quibusdam tractatibus, conventionibus, conditionibus atque pacis inter carissimos in Christo filios nostros Rudolfum Romanorum et Carolum Sicilie reges illustres, per Romanam Ecclesiam et tractatores ab eo super hoc datos habitis, tractatis et etiam ordinatis, nonnulla per reges eosdem privilegia et littere sunt confecta ex quibus aliqua regum ipsorum aureis bullis bullata, quedam vero ipsius regis Romanorum littere suo pendenti sunt cereo sigillo munite, que quidem omnia privilegia et litteras nuntii et procuratores regum ipsorum eorum nomine felicis recordationis Nicolao pape predecessori nostro presentaverunt et assignaverunt tenenda et custodienda per ipsum, et demum infrascripto modo reddenda : videlicet quod procuratores utriusque regis, tempore redditionis litterarum et privilegiorum eorundem, scilicet infra tres menses postquam Clementia, filia dicti regis Romanorum desponsanda nepotis dicti regis Sicilie data foret et recepta, cum pleno et sufficienti mandato comparerent coram ipso predecessore nostro, quibus ipsa privilegia et littere rederentur, ita quod in mandatis eorum contineretur expressa quod ipsi procuratores possint privilegia et litteras ipsa recipere et acceptare sub illis tenoribus, modis et formis sub quibus ipsa littera et privilegia sunt confecta. Et supplicaverunt ambe partes quod placeret, ut ipsorum verbis utamur, eidem, tunc eum privilegia et littera ipsa redderentur per suas litteras exprimere cum toto tenore privilegia et litteras que dabuntur et cui et sub quibus modis et formis reddentur, recipientur, et acceptabuntur, et quod in ipsis litteris apostolicis expressa fieret mentio de forma mandatorum et procuratorum ipsorum, prout hec omnia continentur in quodam instrumento publico manu dilecti filii magistri Pauli de Reate, Camere nostre notarii, confecto, super depositione ac redditione privilegiorum et litterarum eorundem ac faciente distinctam de ipsorum principiis et finibus mentionem. Nuper autem prefatus rex Sicilie pro se, et venerabilis frater noster J., Gurcensis episcopus, ac dilectus filius Rodolfus, ejusdem regis Romanorum cancellarius, ipsius regis Romanorum procuratores, cum ejus pleno et sufficienti ad hoc mandato, cujus tenor de verbo ad verbum inferius continetur, pro dicto rege Romanorum in nostra presentia comparentes ipsaque privilegia et litteras acceptantes sub illis tenoribus, modis et formis sub quibus privilegia ipsa et littere sunt conscripta, voluerunt concorditer et a nobis petierunt instanter ut cum Clementia, filia dicti regis Romanorum, dispensata nepoti dicti regis Sicilie data jam sit, sicut conventum extitit, et recepta, nec postea sit dictum tempus elapsum, nos privilegia ipsa et litteras ejusdem regis Romanorum ipsi regi Sicilie ac predictam litteram ipsius regis Sicilie ipsis episcopo Gurcensi et Rodulfo cancellario, procuratoribus regis Romanorum ejusdem, pro eo reddere et restituere, necnon et litteras super hoc nostras totum tenorem litterarum et privilegiorum ac mandati predictorum, ut premittitur, continentes, unicuique partium concedere dignaremur.

» Nos autem, predicti Sicilie regis ac ipsorum procuratorum Romanorum regis petitionem, utpote juri consonam, de fratrum nostrorum consilio admittentes, reddidimus eidem regi Sicilie infrascripta privilegia et litteras regis Romanorum ejusdem quorum tenores de verbo sunt hii :

I. — Vienne, 28 mars 1280.

« Rudolfus, Dei gratia Romanorum rex semper au-
» gustus, magnifico principi Karolo regi Sicilie illustri,
» amico sincere dilecto, salutem et omne bonum. Muni-
» ficentiam nostri culminis ad vos et domum regiam
» convertentes, comitatum et marchionatum Provincie,

» intendentes hec duo nomina scilicet comitatum et » marchionatum esse sinonima et unum non diversa » supponere, et comitatum Folkalkerie, cum omnibus » jurisdictionibus, juribus et pertinentiis eorundem, ac » omnia que infra comitatus ipsos consistentia Romano- » rum imperatores per eorum privilegia quondam do- » mino Raymundo Berengario, comiti et marchioni » Provincie ac comiti Folkalkerii ipsiusque predecesso- » ribus donaverunt, presenti privilegio confirmamus, » concedimus, et de novo tam vobis ad vitam vestram, » si tantum volueritis, quanto heredibus vestris, qui » processerunt ex vobis et clare memorie Beatrice regina » Sicilie, consorte vestra, et omnibus heredibus et suc- » cessoribus eorundem in feudum, sub consuetis censu » et servitiis prestandis in posterum a vobis et ipsis, in » perpetuum possidenda donamus, et promittentes quod » per nos vel alium, seu alios, nullam donationem, con- » firmationem, investituram, concessionem vel contrac- » tum aut aliquid cum domina Margareta, regina Fran- » cie illustri, vel ejus procuratoribus aut nuntiis, seu » aliis quibuscumque personis ecclesiasticis vel secula- » ribus fecimus, per que hujusmodi confirmatio et de » novo donatio sive concessio, aut aliquid quod in eodem » concesso vobis super hiis privilegio continetur habere » non possit vel non debeat firmitatem, vel per que con- » firmationi, donationi et concessioni predictis, ac hiis » que in dicto privilegio continentur aliquod afferri » possit vel debeat nocumentum, seu predictorum con- » firmationis, donationis, concessionis et aliorum con- » tentorum in privilegio supradicto effectus aliquatenus » impediri, circa ea que forsan extra comitatus eosdem » predicta donatio imperatorum comprehenderet eorun- » dem, nichil ad presens penitus innovato, declaramus, » ordinamus, decernimus, statuimus, et expresse facturos » ac curaturos nos spetialiter obligamus, quod per ea que » facta sunt a nobis ipsi regine Francie nullum omnino » prejudicium fiat vobis et heredibus vestris, vel in jure » preterito, quod vobis et eis in predictis comitatibus » competebat seu competit vel suis que in confirmatione » ac concessione predictis continentur : promittentes » nichilominus predicta omnia et singula, postquam » imperiale diadema, dante Domino, susceperimus, re- » novare ad majorem et perpetuam firmitatem. Actum » et datum Vienne, V kal. aprilis, indictione VIII, anno » Domini M°CC° octogesimo, regni vero nostri anno » septimo. »

II. — Vienne, 28 mars 1280.

« Rudolfus, Dei gratia Romanorum rex, semper au- » gustus, preclare domine Margarete inclite Francorum » regine sibi dilecte, salutem et omne bonum. Licet co- » mitatum et marchionatum Provincie intendentes hec » duo nomina scilicet comitatum et marchionatum esse » sinonima et unum non diversa supponere, ac comita- » tum Folkalkerie cum omnibus juribus, jurisdictioni- » bus, et pertinentiis eorundem, ac omnia que infra » comitatus ipsos consistentia Romanorum imperatores » per eorum privilegia quondam domino Raymundo » Berengario, comiti Provincie ac comiti Folkalkerie, » ipsiusque predecessoribus donaverunt, per speciale » privilegium confirmemus, concedamus et de novo tam » domino C., regi Sicilie illustri, ad vitam suam si tan- » tum voluerit, quam heredibus regis ejusdem qui pro- » cesserunt ex eodem rege, et clare memorie Beatrice » regina Sicilie, consorte sua, et omnibus heredibus et » successoribus eorundem, in feudum, sub consuetis » censu et servitiis prestandis in posterum ab eisdem » rege, heredibus et successoribus in perpetuum possi- » denda donemus, et promittentes quod per nos vel » alium seu alios nullam donationem, confirmationem, » investituram, concessionem, vel contractum aut ali- » quid vobiscum, vel cum vestris procuratoribus aut » nuntiis seu aliis quibuscumque personis ecclesiasticis » vel secularibus fecimus, per que hujusmodi confirma- » tis et de novo donatio sive concessio aut aliquid, quod » in eodem concesso dicto regi super hiis privilegio » continetur, habere non possit vel non debeat firmita- » tem, vel per que confirmationi, donationi, et conces- » sioni predictis, ac hiis que in dicto privilegio conti- » nentur aliquod afferri possit vel debeat nocumentum, » seu predictarum confirmationis, donationis, conces- » sionis, et aliorum contentorum in privilegio supradicto » effectus aliquatinus impediri, circa ea que forsan extra » comitatus eosdem predicta donatio imperatorum com- » prehenderet eorundem, nichil ad presens penitus in- » novato, declaraverimus, ordinaverimus, decreverimus, » statuerimus, et expresse facturos et curaturos nos spe- » tialiter obligaverimus, quod per ea que facta sunt » vobis a nobis nullum omnino prejudicium fiat regi et » heredibus ac successoribus supradictis in jure preterito » quod eis in predictis comitatibus competebat seu com- » petit, vel hiis, que in confirmatione ac concessione » predictis continentur; tamen puritatem intentionis » nostre quam regalibus actibus decet inesse in ipso actu » ipsius negotii declarantes expresse, dicimus, volumus, » ordinamus atque statuimus quod per hoc in jure si » quod in eisdem comitatibus obtinetis, nullum vobis » prejudicium generetur, sed, cum idem rex nos requi- » siverit, ut in possessione dictorum comitatu[u]m, quos » tenet et possidet ac longo tempore pacifice tenuit et » possedit, turbari non permittamus eundem, presertim

» cum paratus sit et se offerat vobis in nostra curia de » justitia respondere. Nos qui hujusmodi petitionem » dicti regis, utpote juri consonam non admittere nec » possumus nec debemus, volumus et presentium tenore » decernimus ac etiam prohibemus quod vos, per vos » vel per alios, regem predictum vel heredes eosdem in » possessionem predictorum comitatuum nullatenus per- » turbetis, sed jus, si quod in ipsis comitatibus habere » vos creditis, prosequamini si volueritis in curia supra- » dicta : in omnibus autem et singulis supradictis ple- » nariam interpretationem et declarationem Romano » Pontifici ad presens et in posterum reservantes, ejus » interpretationem seu declarationem faciendam etiam » simplici verbo, nos servaturos specialiter auctoritate » presentium obligamus, promittentes nichilominus pre- » dicta omnia et singula postquam imperiale diadema, » dante Domino, susceperimus renovare ad majorem et » perpetuam firmitatem. Actum et datum Wienne, » V° kal. aprilis, indictione octava, anno Domini M°CC° » octogesimo, regni vero nostri anno septimo. »

III. — Vienne, 27 mars 1280.

« Rudolfus, Dei gratia Romanorum rex semper augus- » tus, magnifico principi Karolo illustri regi Sicilie » amico sincero dilecto, salutem et omne bonum. Cum, » litteras infrascripti tenoris domine Margarete regine » Francorum illustri duxerimus concedendas, tamen pu- » ritatem intentionis nostre, quam inesse decet regali- » bus actibus, declarantes promittimus, declaramus, or- » dinamus, decernimus et statuimus et hoc nos facturos » et curaturos expresse ac specialiter obligamus, quod » per predictas litteras et que continentur in ipsis, nul- » lum omnino prejudicium fiat vobis et heredibus ves- » tris vel in jure preterito, quod vobis et ipsis in comi- » tatu et marchionatu Provincie ac comitatu Folkalkerie » competebat seu competit, vel in confirmatione et con- » cessione quas nuper vobis fecimus seu facimus de eis- » dem. In omnibus autem et singulis supradictis ple- » nariam interpretationem et declarationem Romano » Pontifici ad presens et in posterum reservantes ejus » interpretationem seu declarationem faciendam etiam » simplici verbo nos servaturos specialiter auctoritate » presentium obligamus, promittentes nichilominus pre- » dicta omnia et singula postquam imperiale diadema, » dante Domino, susceperimus renovare ad majorem et » perpetuam firmitatem. Tenor autem litterarum earun- » dem talis est :

» Rudolfus, Dei gratia Romanorum rex, semper au- » gustus, preclare et inclite domine Margarete Franco- » rum regine sibi dilecte, salutem et omne bonum. Licet » comitatum etc. (1) — et perpetuam firmitatem. Actum » et datum Wienne, VI° kal. aprilis, indictione octava, » anno Domini M°CC° octogesimo, regni vero nostri » anno VII°. »

IV. — Vienne, 30 mars 1280.

« Rudolfus, Dei gratia Romanorum rex, semper au- » gustus, venerabilibus archiepiscopis, episcopis ceteris- » que prelatis, nobilibus, baronibus, comitatibus [*sic*], ac » hominibus universis per comitatus Provincie ac Fol- » kalkerie constitutis, dilectis suis, et Imperii Romani » fidelibus, ad quos presentes littere pervenerint gratiam » suam et omne bonum. Munificentiam nostri culminis, » ad magnificum principem Carolum Sicilie regem illus- » trem et heredes ejus gratiosius convertentes, comita- » tum et marchionatum Provincie, intendentes hec duo » nomina, scilicet comitatum et marchionatum esse si- » nonima, et unum non diversa supponere, nec non co- » mitatum Folkalkerii, cum omnibus jurisdictionibus » juribus, et pertinentiis earundem ac omnia que infra » comitatus ipsos consistentia, Romanorum imperato- » res, per eorum privilegia quondam domino R. Beren- » gario comiti et marchioni Provincie, ac comiti Folkal- » kerii, ipsiusque predecessoribus donaverunt, prefato » regi et heredibus suis qui processerunt ex eodem et » clare memorie Beatrice regine Sicilie, consorte sua, » et heredibus et successoribus eorundem confirmavi- » mus, concessimus et in feudum de novo donavimus, » sub consuetis censu et servitiis nobis et imperio ab ip- » sis prestandis in posterum imperpetuum possidendum. » Et cum idem rex nos requisiverit, ut in possessione » comitatuum, marchionatus, et aliorum consistentium » infra eos, quo tempore nostre creationis et longis ante » temporibus pacifice possedit, et nunc pacifice possidet » et quiete, turbari non permittamus eundem, presertim » cum paratum se offerat de premissis omnibus peten- » tibus in nostra curia de justitia respondere, nos, qui » petitionem ipsam, utpote juri consonam, non admit- » tere nec possumus nec debemus, dignum vidimus, » sic ipsius regis, et heredum suorum in possessione » predicta providere quieti, ut tam eis quos aliis in quos » pacifice provisionis dirigere debemus intuitum, sublata » cujuslibet dissensionis materia, in diebus nostris so- » lide pacis tempora subsequantur. Quocirca universita- » tem vestram rogamus attente, vobis auctoritate regali » nichilominus firmiter injungentes quatinus in predic- » tis comitatibus, marchionatu et aliis consistentibus » infra eos prefatum regem et heredes suos, seu alios eo-

(1) Le texte est le même que ci-dessus, II.

» rum ibidem vices gerentes per vos vel alium seu alios » non turbetis : sed si aliquis jus habere se credit, in » illis prosequatur, si voluerit, suam justitiam coram » nobis, cum parati sumus omnibus petentibus expedite » justitie plenitudinem exhibere. Actum et datum » Wienne, III° kal. aprilis indictione VIII^a, anno Do- » mini M°CC° octuagesimo, regni vero nostri anno sep- » timo. »

V. — Vienne, 28 mars 1280.

« Rudolfus, Dei gratia Romanorum rex, semper au- » gustus, venerabilibus archiepiscopis, episcopis ceteris- » que comitatus, et marchionatus Provincie ac comitatus » Folkalkerie ecclesiarum prelatis devotis suis predi- » lectis, gratiam suam, et omne bonum. In quibuslibet » nostris actibus, ecclesiis et personis ecclesiasticis gra- » tificari sollicitis studiis affectantes, earum dispendia » quantum nobis ex alto permittitur evitamus. Licet igi- » tur comitatum et marchionatum Provincie, intenden- » tes hec duo nomina, scilicet comitatum et marchiona- » tum esse sinonima et unum non diversa supponere, » ac comitatum Folkalkerie cum omnibus jurisdictioni- » bus, juribus et pertinentiis eorundem ac omnia que » infra comitatus ipsos consistentia Romanorum impera- » tores per eorum privilegia quondam domino Ray- » mundo Berengario comiti et marchioni Provincie » ac comiti Folkalkerie, ipsiusque predecessoribus dona- » verunt, per speciale privilegium confirmemus, conce- » damus (1) etc. — confirmatione et concessione predic- » tis continentur : nichilominus tamen declaramus, » ordinamus, decernimus, atque statuimus, quod per » confirmationes, donationes et concessiones comitatuum » eorundem ecclesiis et personis ecclesiasticis illarum » partium nullum omnino prejudicium generetur, cum » intentionis nostre sit earum jura non minuere sed » augere : in omnibus autem et singulis, supradictis » plenariam interpretationem et declarationem Romano » Pontifici ad presens et imposterum reservantes ejus » interpretationem seu declarationem faciendam etiam » simplici verbo nos servaturos specialiter auctoritate » presentium obligamus : promittentes nichilominus » predicta omnia et singula postquam imperiale diadema » dante Domino susceperimus renovare ad majorem et » perpetuam firmitatem. Actum et datum Wienne, » V° kal. aprilis, indictione octava, anno Domini M°CC° » octogesimo, regni vero nostri anno VII°. »

VI. — Vienne, 27 mars 1280.

« Rudolfus, Dei gratia Romanorum rex semper augus- » tus, universis Sacri Romani imperii fidelibus presen- » tes litteras inspecturis, ad perpetuam rei memoriam. » Ut ea que solium majestatis nostre contingunt, et » aguntur, vel agentur in posterum inter nos et domi- » num Carolum regem Sicilie illustrem distincte, ac » clare in debito vigore procedant, volumus et tenore » presentium declaramus quod pro servitiis debitis hac- » tenus imperatoribus vel regibus Romanorum de comi- » tatu et marchionatu Provincie, et comitatu Folkalkerie » non prestitis, aut pro censu olim eisdem pro ipsis vel » eorum altero debito non soluto, pro quibuscumque » dudum factis vel omissis contra imperatores vel reges » Romanorum per eundem regem Sicilie, vel per quos- » cumque, qui olim exercuerunt dominium in eisdem » comitatu et marchionatu Provincie ac comitatu Fol- » kalkerie et terris eorumdem aliquod per nos vel per » successores nostros ratione preteriti temporis peti non » possit, nec ad solutionem seu exhibitionem predictorum » seu alicujus eorum ipse rex Sicilie primogenitus ejus » vel heredes ipsorum possint astringi quin immo si ali- » qua culpa, mora vel pena in predictorum occasione in » aliquo est contracta seu commissa, omnino remittimus » quatenus personam nostram, vel imperium contin- » gunt : ita quod per hoc persona tertia, vel jus tertii in » aliquo non ledatur, nec hujusmodi remissio ad eorum » jus aliquatinus extendatur, pena tamen peti non possit. » Pro servitio vero seu servitiis que debentur vel debe- » buntur pro predictis comitatibus, marchionatu et terris, » quas tenent vel tenebunt dictus rex, et primogenitus » ejus vel alter eorum in eodem Imperio, non debeant » nec possint citari, cogi vel vocari ad personale servi- » tium, et si vocarentur vel citarentur ire personaliter » minime teneantur, sed sufficiat eis per alios ydoneos » et detentos servitium exhibere, et quod iidem rex et » primogenitus possint facere nobis homagium pro co- » mitatibus et marchionatu predictis per alium, vel si » magis elegerimus ipsi iidem rex et primogenitus coram » nuntiis nostris destinandis ad eos personaliter illud » prestent, et non teneantur venire personaliter ad ho- » magium hujusmodi faciendum, nec debeant dicti rex » et primogenitus pro aliqua causa citari personaliter » vel nostrum, seu imperiale, personaliter teneantur » subire judicium, et si vocarentur venire personaliter » minime teneantur, sed liceat eis in agendo, et possint » per procuratorem in defendendo, in quacumque causa » respondere ac agere, et in loco tuto. Et quia dictum » regem munificentia gratiosa prosequitur, quecumque » per ipsum vel per quoscumque ipsius auctoritate vel » occasione facta, commissa seu illata sunt in Imperio » vel extra Imperium in personis vel rebus mobilibus

(1) Le texte est le même, *mutatis mutandis*, que ci-dessus, I.

» vel immobilibus quibuscumque retroactis temporibus, » usque in hodiernum diem, eidem de nostra liberalitate » remittimus, ita quod nec contra ipsum, nec contra ali- » quem alium ipsorum occasione, ullo umquam tempore, » coram nobis vel judicibus nostris, seu aliis quibus- » cumque nos, vel Imperium aut aliquis nostro nomine » audiamur; nec teneatur dictus rex, vel aliquis alius » pro predictis seu predictorum aliquo quatenus nos vel » Imperium contingunt in juditio, vel extra juditium, » coram nobis, vel judicibus nostris, seu quibuscunque » aliis, ut predicitur, respondere aut nostrum pro aliqua » causa occasione predictorum, aliquatinus subire judi- » tium. Non tamen per hoc aliquod immobile vel jus » quod spectet ad Imperium occupatum vel detentum » injuste valeat quin immo licite possit repeti, sed nulla » res mobilie predictorum occasione peti valeat vel se » movens. Remittimus tamen offensam occupationis et » penam, si qui tamen alii a nobis vel Imperio preteri- » torum occasione super rebus mobilibus et immobilibus, » juribus, dampnis, fructibus et interesse, suam justi- » tiam voluerint prosequi non nostro aut Imperii no- » mine, super eis possint coram Romano Pontifice, vel » judicibus dandis ab eo civiliter experiri in casibus in » quibus juste petere poterunt : ita tamen quod nulla » pena extra rem, occasione predictorum possit exigi » vel imponi, salvis etiam aliis legitimis defensionibus » et juribus hinc et inde : promittentes quod regem, » primogenitum et heredes eosdem per nos vel per alios » non offendemus in aliquo nec volentibus ipsos offen- » dere, prestabimus consilium, auxilium, vel favorem » publice vel occulte. Regnum etiam Sicilie et totam » terram que est citra Farum usque ad confinia terrarum » Romane Ecclesie, que predictus rex ab ipsa tenet Ec- » clesia, non occupabimus vel invademus per nos vel » per alium, nec occupari vel invadi procurabimus, nec » invadere vel occupare temptantibus prestabimus auxi- » lium, consilium vel favorem publicum vel occultum, » in hiis auctoritate et mandato Romani Pontificis, vel » Sedis Apostolice semper salvis. Vassallos quoque nos- » tros contra predictorum aliquod facientes, compesce- » mus et puniemus bona fide pro posse, in hiis auctori- » tate et mandato Romani Pontificis, vel Sedis Apostolice » semper salvis. Volumus insuper quod si nos contra » predicta vel aliquod predictorum que continentur in » precedenti articulo ubi loquimur de regno Sicilie face- » remus, liceat omnibus et singulis ecclesiasticis et se- » cularibus principibus, baronibus, vassallis et collegiis, » ac communitatibus Imperii ad mandatum Romani Pon- » tificis, vel Sedis Apostolice juvare regem et heredes » eosdem ad defensionem regni Sicilie, ac terre quam, » ut predicitur, idem rex ab eadem tenet Ecclesia, et pro » eo quod juvabunt regem vel heredes prefatos ad de- » fendendum regnum et terram eadem, contra Imperium » vel nos non reputentur aliquid egisse, vel agere contra » homagium vel fidelitatem nobis ab ipsis prestita vel » prestanda et quod propter auxilium vel juvamen, » quod in hoc casu ad mandatum eorundem Romani » Pontificis, vel Apostolice Sedis, regi, vel heredibus » prestabunt eisdem nullum dampnum, detrimentum » vel jacturam ipsi vel eorundem heredes in feudis et » terris que Imperio tenent incurrant, vel accipiant, et » quod homines seu vassalli nostri, vel Imperii Roma- » norum, non teneantur obedire nobis volentibus per » nos vel per alium regnum Sicilie vel terram, que dic- » tus rex ab eadem tenet Ecclesia, ut dictum est, occu- » pare, invadere, seu quomodolibet offendere, in hiis » auctoritate et mandato Romani Pontificis et Sedis » Apostolice semper salvis. Preterea inimicos regis » ejusdem non juvabimus contra ipsum, nec volumus » quod ipse inimicos nostros adjuvet contra nos, salvis » auctoritate et mandato predictis, et excepto quod si nos » haberemus guerram contra predictam Romanam Ec- » clesiam, vel eadem Ecclesia contra nos, possit idem » rex dictam Ecclesiam libere adjuvare, et si predictus » rex haberet guerram contra prefatam Ecclesiam, vel » ipsa Ecclesia contra ipsum libere nos memoratam Ec- » clesiam adjuvare possimus. Possit etiam predictus rex » Sicilie regem Ungarie juvare in defendendo et regem » Francie, ut tenetur, et nobis ut tenetur, ut servire non » personaliter nichilominus teneatur, sed nec de homi- » nibus Imperii possit servire alicui contra nos nec de » hominibus ipsius regis Francie servire possit alicui » contra ipsum : in premissis auctoritate ac mandato » Romani Pontificis et Sedis Apostolice semper salvis. » Quod si, quod absit, aliqua discordia inter nos et Sici- » lie regem oriretur eundem, unus non movebit propter » hoc guerram alii, nec terram vel vassallos alterius ali- » quatinus molestabit, salvis auctoritate ac mandato » predictis; sed nos et dictus rex ad Romanum Pontifi- » cem recurremus, et super hujusmodi discordiis nos » et ipse rex Sicilie stabimus dicto memorati Romani » Pontificis si forsam inter nos nequiverimus concor » dare. Super hiis autem omnibus et singulis plenarie » observandis absolute ac libere Romano Pontifici, et » spiritualiter et temporaliter nos tenore presentium » duximus submittendos. In omnibus autem et singulis » supradictis consentimus expresse, et in eisdem omni- » bus et singulis plenariam interpretationem et de- » clarationem eidem Romano Pontifici ad presens et » imposterum reservantes, ejus interpretationem seu

» declarationem faciendam etiam simplici verbo nos » servaturos specialiter auctoritate presentium obliga» mus : promittentes nichilominus predicta omnia et » singula, postquam imperiale diadema, dante Domino, » susceperimus, renovare ad majorem et perpetuam fir» mitatem. Premissa vero omnia et singula juramento » corporaliter prestito promittimus inviolabiliter obser» vare. Actum et datum Wienne, VI° kal. aprilis indic» tione VIII^a, anno Domini M°CC° octuagesimo, regni » vero nostri, anno septimo. »

Predictis vero episcopo et cancellario procuratoribus prefati regis Romanorum, pro eo reddidimus prenominatam litteram ipsius regis Sicilie, cujus tenor de verbo ad verbum talis est :

VII. — Naples, 10 mai 1280.

« Karolus, Dei gratia rex Jerusalem, Sicilie, ducatus » Apulie et principatus Capue, princeps Achaie, Ande» gavie, Provincie, Folkalkerie et Tornoderi comes, uni» versis presentes litteras inspecturis, ad perpetuam rei » memoriam. Munificentie gratiam et affabilitatis affectus » quibus magnificus princeps dominus Rodulphus, Ro» manorum rex illustris nos et domum nostram prose» quitur cognoscentes ac intendentes regem ipsum et Ro» manum Imperium debite gratitudinis studio revereri, » promittimus pro nobis et heredibus nostris quod nos » vel ipsi heredes per nos vel per alios non offendemus » regem eundem in aliquo, nec volentibus ipsum offen» dere prestabimus auxilium, consilium vel favorem pu» blice et occulte, Imperium etiam vel aliquam ejus par» tem non occupabimus vel invademus per nos vel per » alios nec occupari vel invadi procurabimus, nec inva» dere vel occupare temptantibus prestabimus auxilium, » consilium vel favorem publicum vel occultum, in hiis » auctoritate et mandato Romani Pontificis vel Sedis » Apostolice semper salvis. Vassallos quoque nostros con» tra predictorum aliquod facientes pro posse bona fide » compescemus et puniemus, salvis auctoritate ac man» dato predictis. Et si nos contra predicta vel aliquod » predictorum que superius de Imperio loquimur facere» mus, liceat omnibus et singulis ecclesiasticis et secu» laribus principibus, baronibus, vassallis et collegiis ac » communitatibus regni Sicilie ac totius terre que est » citra Farum, usque ad confinia terrarum Romane Ec» clesie, que ab ipsa tenemus Ecclesia, et omnium alia» rum terrarum nostrarum que sunt in eodem Imperio, » ad mandatum eorundem Romani Pontificis vel Apos» tolice Sedis juvare predictum regem et imperatorem » Romanorum contra nos et heredes eosdem ad defen» sionem Imperii. Et pro eo quod juvabunt imperatorem » vel regem predictum ad defendendum Imperium con» tra nos et heredes eosdem, non reputentur aliquod » egisse vel agere contra homagium vel fidelitatem ab » ipsis prestita vel prestanda nobis et heredibus supra» dictis. Et quod propter auxilium vel juvamen quod in » hoc casu ad mandatum Romani Pontificis vel Sedis » Apostolice predictorum prestabunt imperatori, vel » regi Romanorum nullum dampnum vel detrimentum » aut jacturam ipsi, vel eorum heredes in feudis et terris » que in regno Sicilie ac lata terra predictis tenent, in» current vel accipient, et quod homines seu vassalli » regni Sicilie non teneantur obedire nobis volentibus » per nos vel per alium Imperium vel aliquam ejus par» tem, ut dictum est, occupare, invadere, seu offendere » in aliquo : salvis auctoritate ac mandato Romani Pon» tificis vel Sedis Apostolice predictorum. Preterea ini» micos regis ejusdem non juvabimus contra ipsum, sal» vis auctoritate ac mandato predictis, et excepto quod » si nos haberemus guerram contra eandem Romanam » Ecclesiam vel ipsa Ecclesia contra nos possit idem rex » Ecclesiam libere adjuvare. Et si predictus rex habe» ret guerram contra Ecclesiam predictam, vel eadem » Ecclesia contra ipsum, libere nos memoratam Eccle» siam adjuvare possimus ; possit etiam eadem rex pre» dictus regem Ungarie juvare in defendendo, sed nec » de hominibus Imperii possimus nos alicui servire con» tra regem Romanorum vel imperatorem, nec de homi» nibus regis Francie servire teneamur alicui contra » ipsum ; possimus quoque et nos regem Ungarie in de» fendendo juvare, salvis in hiis auctoritate ac mandato » Romani Pontificis, vel Sedis Apostolice predictorum ; » possimus etiam juvare regem Francie ut teneamur. » Quod si forte, quod absit, inter eundem regem Roma» norum et nos aliqua discordia oriretur, unus non mo» vebit propter hoc guerram alii, nec terrarum vel vas» sallos alterius molestabit per se vel per alios, salvis » mandato et auctoritate Romani Pontificis, vel Sedis » Apostolice supradictis, sed recurremus ad Romanum » Pontificem, et super hujusmodi discordiis prefatus rex » Romanorum, et nos stabilimus dicto memorato Ro» mani Pontificis, si forsan inter nos nequiverimus con» cordare. Super hiis autem omnibus et singulis plena» rie observandis, absolute ac libere Romano Pontifici » spiritualiter et temporaliter nos tenore presentium » duximus submittendos. In omnibus autem et singulis » supradictis consentimus expresse, et in eisdem omni» bus et singulis plenariam interpretationem et decla» rationem eidem Romano Pontifici ad presens, et » imposterum reservantes, ejus interpretationem seu de» clarationem faciendam etiam simplici verbo nos ser» vaturos spiritualiter auctoritate presentium obligamus,

» promittentes nichilominus predicta omnia et singula, » postquam prefatus rex imperiale diadema susceperit, » renovare ad majorem et perpetuam firmitatem. Pre» missa vero omnia et singula juramento corporaliter » prestito promittimus inviolabiliter observare. In cujus » rei testimonium presens privilegium ex hiis fieri et au» rea bulla typario nostre majestatis impressa, jussimus » communiri. Actum Neapoli, anno Domini M°CC° oc» togesimo, die decimo maii, octave indictionis, regno» rum nostrorum Jerusalem anno quarto, Sicilie vero » quintodecimo. »

Omnia autem privilegia et litteras confecta in persona dilecti filii nobilis viri Karoli principis Salernitani, primogeniti regis Sicilie supradicti deposita per ipsius regis Romanorum procuratores penes eundem predecessorem nostrum, quia sic actum extitit et conventum jussimus et fecimus laniari, ac eisdem regis Romanorum procuratoribus restitui laniatas. Tenor autem predicti mandati per ipsos episcopum Gurcensem et cancellarium exhibiti talis est :

VIII. — Vienne, 9 janvier 1281.

« Rudolfus, Dei gratia Romanorum rex semper augus» tus, universis presentes litteras inspecturis, salutem et » omne bonum. Noverit universitas vestra quod nos ve» nerabilem Johannem Gurcensem episcopum princi» pem nostrum, et Rudolfum concellarium aule nostre » dilectos fideles et familiares nostros constituimus, fa» cimus et ordinamus procuratores nostros et nuntios » speciales, quemlibet eorum in solidum, ita ut non sit » melior conditio occupantis, ad presentandam et assig» nandam Clementiam natam nostram karissimam ex» cellenti principi domino Karolo regi Sicilie illustri, » amico nostro karissimo, aut nuntiis et procuratoribus » ipsius, ad hoc habentibus speciale mandatum, ad no» bilem virum C., primogenitum nobilis viri domini C., » principis Salernitani, primogeniti regis predicti, spon» sum predicte Clementie transducendum, et ad peten» dum et recipiendum nomine nostro corporale sa» cramentum a rege predicto super observandis et » adimplendis omnibus et singulis promissionibus, sub» missionibus, obligationibus, conditionibus, conventio» nibus, pactis, modis et formis, et omnibus et singulis » aliis que in quodam suo privilegio aurea sua bulla » bullato, penes bone memorie N. papam tertium depo» sito, nobis dando, cujus narratio sic incipit : « Muni» ficentie gratiam, » et sic finit : « jussimus communiri. » Actum Neapoli, » continentur; et ad stipulandum a » rege predicto, et sollempnem promissionem recipien» dam ab ipso pro nobis et nomine nostro super censu » et servitiis nobis et Romano Imperio solvendo, et pres» tandis pro marchionatu et comitatu Provincie, et co» mitatu Folkalkerie, sicut inter nos actum et conventum » est, et ad faciendum super hiis omnibus et singulis » fieri publica instrumenta, et ad petendum ipsa sigil» lari sigillo domini regis predicti; et ad omnia et sin» gula prosequenda et exigenda nomine nostro a rege » predicto, que venerabilis pater dominus Petrus Capu» daquensis episcopus et nobiles viri dominus Amelius » de Angoto, dominus Curbani, et Riccardus de Ayrola, » procuratores predicti regis et nuntii speciales, nobis » procuratorio nomine promiserunt pro rege predicto et » ipsum nobis obligaverunt, sicut nos ipsi petere, pro» sequi et exigere ea possemus si presentes essemus, et » ad facienda, ordinanda, acceptanda et recipienda » omnia et singula que per nos fieri, ordinari, acceptari » et recipi debent et possunt secundum formas, modos, » conventiones et ordinationes inter nos ambos reges » hactenus habitas et conscriptas; et specialiter ad reci» pienda privilegia et litteras deposita penes predictum » dominum N. papam tertium, danda nobis et regi pre» dicto juxta ordinationem et formam in quodam publico » instrumento manu magistri Pauli de Reate, tunc no» tarii Camere domini pape predicti confecto plenius (1) » comprehensas, cujus narratio sic incipit : « Pateat » universis per hoc publicum instrumentum quod vene» rabilis pater dominus Johannes Gurcensis episcopus » » et sic finit : « ejus simplici verbo stetur. Actum Suria» num; » et ad acceptanda et recipienda pro nobis ipsa » privilegia sub illis tenoribus, modis et formis, sub » quibus ipsa privilegia et littere sunt conscripta, et spe» cialiter ad petendum laniari, et laniata sibi restitui » litteras et privilegia concepta in persona principis su» pradicti deposita penes predictum dominum papam; » et ad recipiendas litteras nostras datas nuntiis, et pro» curatoribus supradictis in Moravia conceptas, super » certis terminis infra quos promisimus predictam filiam » nostram transmittere, et quedam alia adimplere que » in eisdem litteris plenius recitantur; et ad omnia et » singula facienda pro nobis et nomine nostro que nos » ipsi facere deberemus circa omnia et singula supra» dicta, si presentes essemus, et ad que de jure manda» tum requiritur speciale. Promittimus enim nos ratum » habituros, et firmum quicquid per predictos procura» tores nostros vel alterum ipsorum factum fuerit in pre» missis, aut quolibet premissorum. Dat. Wienne, anno » Domini M°CC°LXXXI°, VIIII° januarii, regni nostri » anno octavo. »

(1) Les mots *confecto plenius* sont répétés deux fois dans le Registre.

Volentes insuper predictorum regis Sicilie, ac procuratorum Romanorum regis petitionem in hac parte plenius adimplere, presentes litteras predictorum privilegiorum, litterarum et procuratorii tenores totaliter continentes dupplicari, ac unicuique partium, prout petierunt a nobis, ad perpetuam memoriam tradi jussimus, singulas nostra bulla bullatas. Dat. apud Urbemveterem, VIIII kal. junii, pontificatus nostri anno primo. »

12 Orvieto, 31 juillet 1281.

Marino dicto Madalono, civi Neapolitano, qui examinatus per magistrum Nicolaum de Terracena, capellanum papae, fuit repertus idoneus, tabellionatus officium concedit. — (Reg. 41, fol. 8 v°; ann. I, n° 12.)

« *Marino dicto Madalono, civi Neapolitano.* Ne contractuum memoria deperiret inventum est tabellionatus officium quo contractus legitimi ad cautelam presentium et memoriam futurorum manu publica notarentur. Hinc est quod predictum officium ad quod examinatus per dilectum filium magistrum Nicolaum de Terracina, capellanum nostrum, cui examinationem tuam super hoc commisimus, fuisti repertus ydoneus, tibi auctoritate presentium duximus concedendum ut illud prudenter et fideliter exequaris et ad te cum necesse fuerit in hiis que ad officium ipsum pertinens recurratur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Dat. apud Urbemveterem, II kal. augusti, anno primo. »

Orvieto, 18 octobre 1281.

In eundem modum Jonathae de Castro Sancti Laurentii de Valle, clerico in minoribus ordinibus constituto, Ferentinatis diocesis, qui examinatus fuit per magistrum Nicolaum de Terracena, capellanum papae, archidiaconum Lexoviensem.

In e. m. Jonathe de Castro Sancti Laurentii de Valle, clerico in minoribus ordinibus constituto Ferentinatis diocesis. Ne contractuum, etc. — Dat. apud Urbemveterem XV kal. novembris, anno primo.

Orvieto, 31 juillet 1281.

In e. m. pro Hugone Bochardi de Cuysello, clerico in minoribus ordinibus constituto, Lugdunensis diocesis, ut in proxima superiori, usque in finem (1).

13 Orvieto, 25 juillet 1281.

Johanni, episcopo Gurcensi concedit facultatem testandi. — (Reg. 41, fol. 8 v°; ann. I, n° 13; Kaltenbrunner, p. 267, n° 234.)

« *Joanni episcopo Gurcensi.* Quia presentis vite conditio statum habet instabilem, et ea que visibilem habent essentiam tendunt visibiliter ad non esse, tu hoc salubri meditatione premeditans diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque non per Ecclesiam seu ecclesias alias, tamen licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue, dum viveres, dispositioni seu administrationi commissis, et que non fuerint altaris ministerio seu alicui spetiali divino cultui vel usui deputata, pro decentibus et honestis expensis tui funeris, ac pro remuneratione illorum qui tibi viventi serviverunt, sive sint consanguinei, sive alii juxta servitii meritum, testari ac disponere possis, et alias, prius tue ecclesie ere alieno deducto, ut ipsa ecclesia non remaneat debitis obligata, de ipsis in pios usus ac licitos convertendis, tibi auctoritate presentium plenam et liberam concedimus facultatem. Volumus autem quod in eorundem ecclesiasticorum dispositione bonorum, juxta quantitatem residui erga ecclesias a quibus eadem percepisti, te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit, et saluti anime tue videris expedire. Dat. apud Urbemveterem, VIII kal. aug., anno primo. »

14 Orvieto, 13 août 1281.

Johanni de Pontisera archidiacono ecclesiae Exoniensis et capellano suo, facultatem testandi concedit. — (Reg. 41, fol. 8 v°; ann. I, n° 14.)

« *Johanni de Pontisera archidiacono ecclesie Exoniensis, capellano nostro.* Quia presentis vite —. Dat. apud Urbemveterem, idibus augusti, anno primo. »

15 Orvieto, 6 mai 1281.

Benedicto Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali indulget ut ecclesiam Sancti Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, et de Barro in Lingonensi ac de Pissiaco in Carnotensi ecclesiis archidiaconatus, ac ecclesiam de Thowecestro, Lincolniensis diocesis, canonicatus quoque ac praebendas quos in Lingonensi, Carnotensi, Lugdunensi, Parisiensi, Anagnina, Tudertina, Sancti Audomari Morinensis ecclesiis et in basilica Sancti Petri de Urbe obtinet possit insimul retinere

(1) Il est à noter ici que le précédent alinéa est en note et surcharge dans le registre; d'où la date du 31 juillet que nous adoptons pour la bulle ci-dessus.

ac proventus praedictorum beneficiorum percipere ac si in iisdem ecclesiis resideret. — (Reg. 41, fol. 8 vº; ann. I, nº 15.)

« *Dilecto filio Benedicto Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali.* Fratres nostri Sancte Romane Ecclesie cardinales, submissis humeris ad regendum universalis Ecclesie firmamentum, assistendo nobis operosa sedulitate laborant, ut tam ipsius Ecclesie quam orbis incumbentia nobis onera nobiscum indefessis sollicitudinibus partiantur. Quare decens et debitum esse conspicimus, ut ipsi quos Dominus tanquam precipuas et sublimes Ecclesie predicte columpnas prerogativa sublimavit honoris, quique in ecclesiarum defensione, ac conservatione suarum libertatum et jurium indesinenter studia et labores impendunt apud nos prerogativam favoris inveniant et gratiarum plenitudinem in suis oportunitatibus consequantur. Personam itaque tuam precipui favoris gratia prosequentes, ut ecclesiam Sancti Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, cum ejus domibus et capellis sibi subjectis, et de Barro in Lingonensi ac de Pissiaco, de quo antequam in cardinalem fuisses assumptus tibi dicitur extitisse provisum, licet nondum, sicut asseris, illius pacificam possessionem sis adeptus, in Carnotensi ecclesiis archidiaconatus, ac ecclesiam de Thowecestro, Lincolniensis diocesis, curam animarum habentes, canonicatus quoque ac prebendas quos in Lingonensi et Carnotensi predictis, ac Lugdunensis, Parisiensis, Anagnine, Tudertine et Sancti Audomari Morinensis diocesium ecclesiis, et in basilica Sancti Petri de Urbe obtinere dinosceris, possis insimul licite ac libere retinere; ac insuper, ut mora quam in Romana Curia contraxisti anno presenti pro residentia ad quam faciendam in eisdem ecclesiis vel earum aliqua tenebaris per inde habeatur omnino, et specialiter tam quo ad retentionem, quam quo ad perceptionem fructuum et proventuum archidiaconatuum, ecclesiarum Sancti Nicolai et de Thowecestro, capellarum et prebendarum predictorum ejusdem anni, et nichilominus ut fructus et proventus hujusmodi futurorum annorum cum ea integritate percipere valeas, cotidianis distributionibus duntaxat exceptis, cum qua illos perciperes si in ipsis ecclesiis secundum consuetudines resedisses ipsarum, vel etiam resideres : non obstantibus constitutione generalis concilii, et aliis quibuscumque ipsarum ecclesiarum contrariis consuetudinibus, vel statutis juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel legatorum ipsius seu quacumque firmitate alia roboratis, vel si ex ipsarum ecclesiarum aut alicujus earum statutis, aut alias qui contra consuetudines, vel statuta hujusmodi fecerit ipso facto sententiam excommunicationis vel suspensionis incurrat, aut juramento per te vel de mandato tuo prestito specialiter vel generaliter, sub quocumque tenore vel forma verborum, per quod ad predictas consuetudines vel statuta servando teneris seu per quod non liceret tibi ea, que persone tue per presentes gratiose concedimus vel ipsorum aliqua per te vel alium impetrare aut uti eis etiam ab alio impetratis, seu tibi quocumque modo concessis, sine quibuslibet privilegiis seu litteris dicte Sedis vel legatorum ejus etiam si de ipsorum totis tenoribus, et de verbo ad verbum, ac de ecclesiis et basilica predictis, ac earum singulis nominatim oporteat in nostris litteris mentionem fieri specialem, et per quas vel que effectus presentium impediri valeat vel differri, aut si in predictis ecclesiis in quibus beneficiatus existis primam residentiam non fecisti, auctoritate tibi presentium indulgemus; proviso quod in prefatis archidiaconatibus et ecclesia de Thowecestro animarum cura nullatenus negligatur, sed in eis per personas ydoneas quas ad hoc elegeris, et de quibus expedire videris facias deserviri. Nulli ergo, etc. nostre concessionis, etc. Dat. apud Urbemveterem, II nonas maii, anno primo. »

16 Orvieto, 15 mai 1281.

Archipresbytero ecclesiae Ferrariensis, cum Bellobonus de Guarnerinis, tunc potestas, fratres Pileus et Marchabrunus, ordinis beatae Mariae Virginis, ac nonnulli cives Vicentini, Nicolaus de Plebe et Caputdurus de Padua, laici, familiares dicti Belleboni, B. Vicentinum episcopum episcopatu ac bonis spoliati sint, dictumque episcopum cum omnibus ejus adhaerentibus expulerint, ac canonicos Vicentinos ut Antonium de Guarnerinis, canonicum Paduanum, in Vicentinum episcopum postularent, compulerint — mandat quatinus ad civitatem Vicentinam se conferens dictum B. episcopum ad episcopatum restituat, eundem Antonium intrusum ab officio suspensum ad praesentiam papae mittat, ac contra praedictos Bellebonum, fratres, cives Vicentinos, Nicolaum et Caputdurum procedat. — (Reg. 41, fol. 9; ann. I, nº 17.)

« *Archipresbytero ecclesie Ferrariensis.* Detestande presumptionis excessus qui contra venerabilem fratrem nostrum B. Vicentinum episcopum, non sine multo divini nominis et Apostolice Sedis contemptu gravique dispendio ecclesiastice libertatis, ausu nephario dicitur attemptatus nuper nostrum perturbavit auditum, mentis intima pupugit instanter excitans animum ad exerendum in patratores illos condigne gladium ultionis. Intelleximus et enim quod Bellebonus de Guarnerinis, tunc potestas, fratres Pileus et Marchabrunus, ordinis beate Marie Virginis gloriose, ac nonnulli cives Vicentini, Nicolaus de

Plebe, et Capuddurus de Padua, laïci, familiares Belleboni prefati, pravis actibus data licentia, et nefandis operibus aditu reserato, dictum episcopum christianum utique Domini Deique ministrum, quem reverentia prosequi condigna debebant, indigna nequitia persequentes, ipsum episcopatu suo et bonis omnibus ad eum spectantibus spoliari, et tam illum quam omnes clericos et laïcos sibi familiariter adherentes de civitate ac diocesi Vicentinis expelli nequiter procurarunt, eundem nichilominus episcopum ac hujusmodi familiares ipsius de civitate ac diocesi sepedictis forbanniri perpetuo facientes, cunctis bonis episcopi et familiarium predictorum in domibus dicti episcopatus et ipsorum inventis, non sine multe cupiditatis vitio asportatis totaliter et direptis, alios eidem episcopo et ecclesie Vicentine in castris, villis, juribus et aliis bonis suis, dampnis gravibus et injuriis irrogatis. Nec hiis eorum extitit contenta temeritas, sed ipsi, utpote proprie salutis immemores et in reprobum sensum dati, offensas offensis et opprobria opprobriis cumulantes, ad .. prepositum et quosdam canonicos Vicentinos, tunc in predicta ecclesia horis matutinalibus insistentes, noctis adhuc incumbentibus tenebris, lucis commoda cum male agerent fugiendo, armata manu temere accesserunt, illos ut Antonium de Guarnerinis canonicum Paduanum fratrem Belleboni predicti, contra juris regulam, et sacrorum canonum instituta, in Vicentinum episcopum postularent, minis et terroribus validis metuque gravi qui inconstantes cadere poterat compellendo. Cujus postulationis vel verius execrationis pretextu, prefatus Antonius in episcopatum predictum se temere procuravit intrudi, ac laïcali fultus potentia, ejus administrationi se dampnabiliter ingerens, illum detinet taliter occupatum, villas aliaque bona predicta totaliter dissipans et consumens in anime sue periculum, plurimorum scandalum et grave dictorum episcopatus et episcopi detrimentum. Cum itaque tam superbus et enormis excessus, tam pernitiosus exemplo, et in divine majestatis oculis odiosus impunitus transire non debeat, ne aliis ausum tribuat delinquendi, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad civitatem Vicentinam te personaliter conferens, si sine strepitu et figura judicii spoliationem et intrusionem hujusmodi ibidem notorias esse inveneris, memorato episcopo per te vel alium seu alios ad episcopatum, castra, villas aliaque jura et bona quibus extitit spoliatus integre restituto, facias eum pacifica illorum possessione gaudere, amoto ab eis predicto Antonio et quolibet alio detentore, sibique de fructibus et proventibus ex predictis episcopatu, castris, villis et aliis medio tempore perceptis et qui percipi potuerunt, necnon de dampnis et injuriis eidem episcopo, Ecclesie et familiaribus suis in hac parte illatis ac expensis etiam quas ipse propter hoc subiisse dinoscitur, congruam satisfactionem impendi, necnon et a clero civitatis et diocesis predictarum obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, ac etiam a vassallis ejusdem Ecclesie intendi humiliter et devote, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Et quia sepedictus Antonius in locum viventis non absque dampnate ambitionis vitio se permisit, quin potius procuravit intrudi, ipsum ab officio beneficioque suspensum personaliter ad presentiam nostram mittas, prefixo sibi termino peremptorio competenti, quo personaliter compareat coram nobis pro meritis recepturus; contra prefatos autem Bellebonum, fratres, cives Vicentinos, Nicolaum et Caputdurum, prout justitie rigor exegerit et protervia illorum suaserit procedere non omittas, contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo : non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia ipsius Sedis indulgentia, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat vel differri. Si vero ad civitatem predictam propter nonnulla statuta nepharia que inibi contra illos, qui dicte Sedis, vel legatorum ejus litteras representant edita fore dicuntur, aut ob aliam justam causam accedere secure non poteris vel nuntium destinare, tu in aliquo vel aliquibus vicinis et tutis locis ad hoc competentibus de quo vel quibus verisimiliter credi valeat vel presumi, quod ea que gerentur ibidem ad predictorum possint notitiam pervenire procedas in hujusmodi negotio juxta traditam tibi formam, sic sollicite sicque prudenter te in hujusmodi negotio habiturus, ut tue sollertie studium possit exinde dignis in Domino laudibus commendari. Dat. apud Urbemveterem, idibus maii, anno primo. »

17 Orvieto, 22 août 1281.

P., episcopo Majoricensi facultatem testandi concedit. — (Reg. 41, fol. 9 v°; ann. I, n° 17.)

« *Venerabili fratri P. episcopo Majoricensi.* Quia presentis vite. — Dat. apud Urbemveterem, XI kal. septembris, anno primo. »

18 Orvieto, 20 septembre 1281.

Regi Angliae, qui tempore Nicolai papae Almarricum de

Monteforti, capellanum papae, dum A. sororem suam, uxorem principis Walliae ad eundem principem conduceret, capi fecit, mandat quatinus praedictum Almarricum liberari faciat ac extra regnum suum conduci. — (Reg. 41, fol. 10; ann. 1, nº 18.)

« *Carissimo in Christo filio .. regi Anglie illustri.* Operatur in nobis, paterne caritatis affectus, quo personam regiam inter ceteros reges et principes orbis terre tuamque domum inclitam fide preclaram et devotione sinceram non indigne prosequimur, ut te ad ea promptum et facilem reperiri plenis affectibus cupiamus per que tibi ex alto fecundius carismatum dona proveniant, salutis regie producatur augmentum, et regalis nominis altitudo celebriori preconio divulgetur. Sane cum olim ad felicis recordationis Nicolai pape predecessoris nostri audientiam pervenisset quod dilectus filius Almarricus de Monteforti, capellanus noster, dum dilectam in Christo filiam nobilem mulierem A., sororem suam, uxorem dilecti filii nobilis viri .. principis Wallie per partes maritimas tuo regno vicinas ad eundem principem conducebat, laqueum captionis incurrerat, et quod tu, eventum hujusmodi non absque affectu compassionis intelligens, de conservando sororis predicte pudore, tibi sollicitudinis studium vigilantis indideras, procurando benignius ut nobilis eadem traduceretur ad virum, quodque capellanus prefatus ex ordinatione felicis recordationis Johannis pape, predecessoris sui, sub quorundam prelatorum dicti regni custodia permanebat, dictus Nicolaus predecessor circa liberationem ipsius capellani, quantum secundum Deum et absque turbatione status pacifici dicti regni poterat, sollerter intendens, ne diutius prefatus capellanus detentionis hujusmodi tedio gravaretur, attente quoque considerans quod et pietatis affectio circa predictam, sicut premittitur, servata sororem, ac memoria sanguinis, quo eidem capellano connecteris, regalem animum ad eum verisimiliter inclinare debebant, sibique fontem aperire dulcedinis cordis tui, dilectum filium magistrum Raymundum Augerii, decanum Aniliensis ecclesie, capellanum nostrum, pro liberatione Almarrici predicti ad te spetialiter destinavit, serenitatem regiam per suas litteras rogans attentius, ut pro sua et Apostolica Sedis reverentia, circa liberationem Almarrici jamdicti sic opem et operam efficaces impenderes, eumque faceres postquam existeret liberatus extra regnum predictum sub favore regio usque ad loca sibi tuta conduci, quod exinde tui nominis gloria susciperet incrementum. Et ne pretextu captionis seu detentionis hujusmodi simultatem aliquam suscitandi aliqua occasio preberetur, et eidem regno ejusque incolis alicujus timende turbationis materia imineret, ab eodem magistro Raymundo per alias suas litteras, nonnulla exequenda, et a predicto Almarrico facienda providit, per que hujusmodi posse obviari periculis, ab aliquibus credebatur, videlicet quod si prefatus Almarricus certe forme in predictis ad te directis inserte litteris simpliciter, absolute ac libere consentiret, de quo quidem consensu libero voluit memoratus Nicolaus predecessor, ut magister ipse cognosceret et diligenter adhiberet industriam et cautelam ne forte in posterum a calumpniosis consensus hujusmodi diceretur extortus, ab eodem. A. obligationem reciperet, corporali prestito juramento quod memoratum regnum absque Apostolice Sedis expressa licentia, nullo umquam tempore reintraret, quodque prefatus A. regnum ipsum, aliasque terras tibi subjectas, per se, vel per alios hostiliter nequaquam invaderet, nec etiam occuparet, nec invadi vel occupari ab alio procuraret. Et si secus forte presumeret, excommunicationis sententia quam per eundem magistrum Raymundum ferri voluit, in eundem ligatus existeret, et omnibus ecclesiasticis beneficiis ac privilegio clericali privatus, et per eundem magistrum R. ad illa redderetur inhabilis vel alia obtinenda; et quod postquam idem A. ad loca tuta regni Francie perveniret, obligationem similem renovaret, eam sub juramento et penis similibus sibi per eundem magistrum. R. imponendis vel etiam infligendis perpetue servaturus. Quod si, postquam ad loca tuta dictum A. pervenire contingeret, ipse obligationem non renovaret eandem, aut contra premissa vel aliquod premissorum veniret, ex tunc eisdem excommunicationis, privationis et inhabilitatis penis, dictum Almarricum prelibatus N. predecessor voluit subjacere, prout hec in predictis ad te directis litteris plenius continentur. Sed eodem Nicolao predecessore morte prevento, hujusmodi negotium non potuit expediri. Porro litteras regias, quas pridem vacante tunc Apostolice Sede per eundem magistrum R. venerabilibus fratribus nostris Romane Ecclesie cardinalibus, de quorum tunc temporis eramus numero, direxisti, intelleximus diligenter, dilate liberationis Almarrici prefati causam plenius advertentes. Et quia tam ex ipsarum litterarum tenore quam ex prefati magistri relatione collegimus, quod ad ejusdem Sedis in hoc beneplacita exequenda promptum te exhibes et paratum, tibi uberum dona rependimus gratiarum, regalem celsitudinem rogantes attentius et hortantes quatinus eterni Regis intuitu, per quem regnas et regeris, ac pro Apostolice Sedis et nostra reverentia, regieque dignitatis honore, hujusmodi grate nobis regie promptitudinis studium prosequens, circa liberationem Almarrici predicti oportunum et efficax studium de benignitate regia largiaris, faciens eundem A., postquam liberatus extite-

rit extra regnum tuum sub favore regio, usque ad loca sibi tuta conduci, ut illum tibi proinde retributorem constituas, qui de sue munificentia largitatis, pro minimis grandia recompensat, et Sedis Apostolice gratia, quam libenter devotis filiis explicamus, circa personam tuam votivum suscipiat incrementum. Et quoniam Sedes ipsa ex quodam pie compassionis affectu quo ascriptos militie ordinis clericalis prosequitur, negotium hujusmodi cordigerit, memoratum magistrum Raymundum, de cujus experta probitate confidimus, ad te propter hoc duximus remittendum ut ab eodem Almarrico diligenter, ut expedit, obligationem recipiat supradictam, in qua per eundem A. adici volumus ad tuam tuique regni cautelam, quod idem A. tibi vel regno tuo, aut ipsius regni personis adversari volentibus, favorem vel consensum aliquem non prestabit, prout per easdem litteras regias postulasti. Quesumus ergo, fili, ut in hac parte apostolicis beneplacitis conformans devotius desideria cordis tui, efficaciter exequi studias, quod a te petitur confidenter, ut ex hoc regie devotionis sinceritas clarius elucescat, et Romana Ecclesia, mater tua, que te gerit infra caritatis viscera predilectum laborum tedia occasione hujusmodi non cogatur ulterius experiri. Dat. apud Urbemveterem, XII kal. octobris, anno primo. »

19 Orvieto, 20 septembre 1281.

Archiepiscopo Cantuariensi et ejus suffraganeis mandat quatinus operam impendant sollicitam, ut ejusdem liberatio Amalrici festina proveniat. — (Reg. 41, fol. 10 v°; ann. I, n° 19; — Potthast n° 21787.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuariensi et ejus suffraganeis.* Olim cum ad. — Dat. ut supra. »

20 Orvieto, 20 septembre 1281.

Magistro Raymundo, decano ecclesiae Anitiensis, capellano suo, mandat quatinus regi Angliae quod super eodem papae precibus acquiescat sollertius suadere studeat diligenter. — (Reg. 41, fol. 11; ann. I, n° 20; — Potthast n° 21788.)

« *Magistro Raymundo, decano ecclesia Anitiensis, capellano nostro.* Olim cum ad. — Dat. ut supra. »

21 Orvieto, 17 septembre 1281.

F., episcopo Ovetensi testandi facultatem concedit. — (Reg. 41, fol. 11; ann. I, n° 21.)

« *Venerabili fratri F. episcopo Ovetensi.* Quia presentis vite. — Dat. apud Urbemveterem, XV kal. octobris, anno primo. »

Orvieto, 21 octobre 1281.

In e. mo. magistro Johanni capicerio ecclesiae Pictavensis capellano suo eandem facultatem concedit. — Dat. apud Urbemveterem, XII kal. novembris, anno primo (1).

22 Orvieto, 13 septembre 1281.

Episcopo Meldensi, cum quondam Gaufridus de Sarginis junior miles ac quondam Gaufridus de Sarginis miles olim, in civitate Acconensi pro defensione Terrae Sanctae commorantes, pro ejusdem Terrae subsidio tria milia librarum Turonensium parvorum a quondam magistro domus Militiae Templi Jerosolimitani mutuo receperint, ac praeceptor et fratres dictae Militiae in Francia Johannem de Archeriis tutorem Ysabellis et Helvidis pupillarum, filiarum dicti Gaufridi de Sarginis junioris haeredum praedictorum militum dictasque haeredes super ejusdem solutione pecuniae inquietent, — mandat quatinus, a certis mercatoribus Lucanis in Francia commorantibus, tribus milibus librarum receptis, eisdem praeceptori et fratribus quicquid de praemisso mutuo trium milium librarum adhuc debitum fuerit persolvat, residuum dictis tutori et haeredibus assignet. — (Reg. 41, fol. 11; ann. I, n° 22.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Meldensi.* Sua nobis dilectus filius nobilis vir Johannes de Archeriis, tutor dilectarum in Christo filiarum Ysabellis et Helvidis pupillarum filiarum quondam Gaufridi de Sarginis junioris militis, filii quondam Gaufridi de Sarginis militis, heredum ipsorum militum petitione monstravit, quod olim iidem milites dum viverent, in civitate Acconensi pro custodia et defensione Terre Sancte personaliter commorantes, pro ejusdem Terre subsidio tria milia librarum Turonensium parvorum a quondam .. magistro domus Militie Templi Jerosolimitani mutuo receperunt, ac promiserunt hujusmodi pecuniam eidem magistro et suo conventui infra certum tempus persolvere, seque ad hoc ac suos heredes et bona ipsorum mobilia et immobilia sub certis penis et conditionibus obligarunt, prout in patentibus litteris inde confectis, dictorum militum et bone memorie Guillelmi patriarche et quondam Hugonis Revel magistri Hospitalis Jerosolimitani sigillis munitis, plenius dicitur contineri. Sane felicis recordationis Clemens papa, predecessor noster, intellecto dudum quod predictus Gaufridus avus earundem heredum qui tunc ejusdem Terre obsequiis insistebat, non poterat hujus-

(1) Ce dernier acte se trouve en note et en surcharge sur le Registre.

modi pecuniam de proprio solvere, nisi suam hereditatem distraheret in solutione ipsius pecunie convertendam, ne tam fidelis servitoris obsequium existeret obsequenti dampnosum, vel eum sic dampnificatum torpere contingeret in exercitio solite probitatis, nobis tunc in minori officio constitutis et in regno Francie legationis fungentibus officio, suis dedit litteris in mandatis ut de collectis vel colligendis in subsidium dicte Terre sic honeste Gaufrido provideremus eidem, quod ipse nec propriam ob id distraheret substantiam, nec Terram eandem tali pretextu derelinquere cogeretur. Sed nos ejusdem predecessoris in hac parte mandatum, cum nulla talia collecta vel colligenda in nostra dispositione tunc temporis haberentur, nequivimus adimplere. Verum quia postmodum prefati milites nature debitum persolverunt, satisfactione de memorata pecunia non impensa, .. preceptor et fratres ipsius Militie in Francia, habentes a dilecto filio .. magistro et prefato conventu dicte domus Jerosilimitane spetiale mandatum pro eis prefatum debitum recipiendi et hujusmodi negotium prosequendi, quique de terra, aliisque bonis mobilibus et immobilibus eorundem tutoris et heredum occasione hujusmodi non modicam quantitatem pecunie perceperunt, et quibus terra et bona ipsa adhuc propter hoc remanent obligata, tutorem et heredes predictos super ejusdem solutione pecunie plurimum inquietant. Quare pro parte tutoris et heredum predictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut ne ipsi pretextu hujusmodi debiti quod prefati milites pro memorato dicte Terre subsidio sicut premittitur contraxerunt sustinere valeant detrimentum, providere in hac parte sibi paterna diligentia curaremus. Nos igitur, dignum et congruum reputantes prefatum predecessoris ejusdem directum nobis, ut premissum est, per litteras supradictas mandatum favorabiliter adimpleri, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus a dilectis filiis Bartholoto Bandini, Barcheta de Barcha, et Bindo Johannis Symoneti, et eorum sociis civibus et mercatoribus Lucanis in Francia commorantibus de societate dilectorum filiorum Labii Vulpelli et Dini Fadulini, civium et mercatorum Lucanorum, qui jam super hoc ex parte nostra speciali recepere mandatum, tribus milibus librarum Turonensium parvorum nomine nostro et Ecclesie Romane receptis ac deinde computatis, omnibus que de predictis Terra et bonis ipsorum tutoris et heredum per prelibatos perceptorem et fratres percepta sunt hactenus vel fuerint, quousque ipsis pro parte supradictorum magistri et conventus de hujusmodi mutuo si quid defuerit exinde satisfiet, a quibus de hujusmodi perceptis tibi plenam reddi facias rationem eos ad ipsam rationem reddendam, et quod eadem percepta in prefatis tribus milibus librarum computent, monitione premissa, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, tandem eisdem preceptori et fratribus pro parte dictorum magistri et conventus quicquid de premisso mutuo trium milium librarum hujusmodi computatione legitime facta defuerit, de predictis tribus milibus librarum ab eisdem mercatoribus receptarum nomine dictorum tutoris et heredum in hac parte suppleas et supplendo persolvas; quicquid vero residuum eorundem trium milium librarum, quas a mercatoribus ipsis sic receperis, fuerit, tutori et heredibus supradictis assignes, faciens nichilominus eisdem tutori et heredibus a dictis preceptore et fratribus plenam quietationem et refutationem super hoc fieri, ac restitui predictas litteras et quelibet alia documenta super debito ipso confecta, necnon tibi prefatas dicti predecessoris litteras assignari, ac prestari vice nostra a prefato tutore suo et ipsorum heredum nomine de pecunia ipsa ulterius non petenda plenariam cautionem, contradictores, etc. usque : compescendo : non obstante si aliquibus a predicta Sede indultum existat quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi. Predictas autem memorati predecessoris litteras ac illas que fuerint super eadem cautione confecte, nobis studeas per nuntium fidelem transmittere, necnon et quicquid super hiis faciendum duxeris, tuis litteris harum seriem continentibus intimare. Dat. apud Urbemveterem, idibus septembris, anno primo. »

23 Orvieto, 17 octobre 1281.

Universitati magistrorum et scolarium Oxoniensium, Lincolniensis diocesis indulget ut extra Oxoniam, super contractibus ab eis initis intra illam, trahi ad judicium per Apostolicae Sedis vel legatorum ipsius litteras non possint absque papae speciali mandato, dummodo infra eandem Oxoniam super praemissis exhibeant conquerentibus de eis coram competenti judice justitiae complementum, praesentibus post quinquennium minime valituris. — (Reg. 41, fol. 12; ann. I, nº 23.)

« *Dilectis filiis Universitati magistrorum et scolarium Oxoniensium, Lincolniensis diocesis.* Querentes in agro scolastice discipline scientie margaritam non immerito apostolico favore prosequimur, et eisdem ea concedimus per que materia summota gravaminis ipsorum status tranquillitas procuretur. Hinc est quod nos vestris devotis precibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus ut extra Oxoniam communiter vel divisim, super contractibus a vobis vel vestrum quovis initis intra illam, trahi ad judicium per Apostolice Sedis vel lega-

torum ipsius litteras non possitis, absque nostro speciali mandato faciente plenam et expressam de verbo ad verbum de hac indulgentia mentionem, dummodo infra eandem Oxoniam super premissis exhibeatis conquerentibus de vobis coram competenti judice justitie complementum, presentibus post quinquennium minime valituris. Nulli ergo etc., nostre concessionis etc. Dat. apud Urbemveterem, XVI kalendas novembris, anno primo. »

24 Orvieto, 5 octobre 1281.

Regino et Sanctae Severinae archiepiscopis mandat quatinus, cum per clamorem prioris et conventus monasterii Sanctae Trinitatis Militensis, ordinis Sancti Benedicti audiverit quod Rogerus, pro abbate monasterii ejusdem se gerens, et dissolutam, simoniaca labe pollutam vitam ducens, enormes variosque excessus in prejudicium dicti monasterii commiteret, suprafati archiepiscopi saepedictum monasterium visitent, corrigant et reforment ita ut remedium oportunum adhibeatur. — (Reg. 41, fol. 12; ann. I, nº 24.)

« *Venerabilibus fratribus .. Regino, et .. Sancte Severine archiepiscopis.* Etsi pastoralis officii debito exigente circa statum ecclesiarum omnium quibus nos pretulit benigna clementia Salvatoris considerationis intuitum dirigere debeamus, de statu tam illarum que Apostolice Sedi nullo medio sunt subjecte, tanto sollertius cogitare tenemur quanto earum cura specialius ad nos spectat. Clamor siquidem dilectorum filiorum .. prioris et conventus monasterii Sancte Trinitatis Militensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, ad apostolatus nostri audientiam jam perduxit, quod Rogerus, qui pro abbate monasterii predicti se gerit, monastice honestatis oblitus et tanquam regularis observantie persecutor, vitam ducit enormiter dissolutam. Et licet iidem prior et conventus ipsum, ut asserunt, jam pluries caritativis affectibus admonere curaverint, ut actus corrigeret proprios, ac eos in melius reformaret, ipse quasi datus in sensum reprobum admonitiones hujusmodi dampnabiliter vilipendens, sui ordinis regulam non observat, honestatem religionis proprie quam cautius servare debuerat multipliciter dehonestans monasterium ipsum irreparabiliter deformando. Ipse namque Rogerus symoniaca labe pollutus, notabilis incontinentie diffamatus vitio ac reatu parjurii aliisque diversis criminibus irretitus, bona ipsius monasterii, quasi ad dispendium desolationis ejus aspirans, usque adeo dilapidat et consumit quod monasterium ipsum, quod olim florere in spiritualibus et habundare in temporalibus consuevit, ob incuriam et desidiam ac malitiam Rogerii supradicti sic miserabiliter collapsum dinoscitur in utrisque, quod nisi ei celeri remedio succurratur vix adiciet ut resurgat, ac alia etiam dictus R[ogerus] committere non veretur, que oculos divine majestatis offendunt, sue salutis detrimenta respiciunt, et homines graviter scandalizant. Quare memorati prior et conventus a nobis humiliter postularunt ut calamitatibus plurimis et miserabili statui monasterii supradicti ne, quod absit, invalescentibus malis suis irremediabiliter collabatur, paterno compatientes affectu, oportunum in hoc adhibere remedium curaremus. Nos itaque, de probitate vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ad prefatum monasterium vos personaliter conferentes et habentes pre oculis solum Deum, visitetis, corrigatis et reformetis auctoritate nostra in eo, tam in capite quam in membris, que correctionis et reformationis offitio hac vice noveritis indigere, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo : non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Dat. apud Urbemveterem, III nonas octobris, anno primo. »

25 Orvieto, 30 septembre 1281.

Abbati monasterii de Holm, Othoniensis diocesis et priori fratrum ordinis Praedicatorum Othoniensium mandat quatinus ab excommunicationis sententia absolvant priorem et monachos Othoniensis ecclesiae qui pro eo quod decimam Terrae Sanctae subsidio deputatam in statutis terminis integre non solverant, dictam sententiam incurrerant, nuper autem per Nicolaum dictum Pir canonicum Ripensis ecclesiae et Stragonem monachum nuntios ipsorum speciales centum et quadraginta marchas et viginti solidos sterlingorum magistris Raynaldo de Castronovo et Uberto de Placentia capellanis et thesaurariis papae solverant, dum praestito juramento praedicti prior et monachi se de decima praelibata satisfecisse firmaverint. — (Reg. 41, fol. 12 vº; ann. I, nº 25; — Potthast, nº 21790.)

« .. *abbati monasterii de Holm, Othoniensis diocesis, et .. priori fratrum ordinis Predicatorum Othoniensium.* Ex parte dilectorum —. Dat. apud Urbemveterem, II kalendas octobris, anno primo. »

26 Orvieto, 15 octobre 1281.

P., episcopo Reatino collectori decimae in regno Siciliae,

Sicilia et Calabria duntaxat exceptis, a Sede Apostolica deputato mandat quatinus dictam decimam, cum ei hujusmodi ministerium episcopo Soranae ecclesiae tunc temporis existenti commissum fuisset, non obstante translatione ipsius ad ecclesiam Reatinam, competenter exigat et colligat. — (Reg. 41, fol. 12 v°; ann. I, n° 26.)

« *Venerabili fratri P. episcopo Reatino, collectori decime in regno Sicilie, Sycilia et Calabria duntaxat exceptis, a Sede Apostolica deputato.* Habet tue fraternitatis assertio quod cum olim ecclesie Sorane preesses, ministerium colligendi decimam deputatam subsidio Terre Sancte sub certa forma in regno Sycilie, Sycilia et Calabria dumtaxat exceptis, tibi extitit ab Apostolica Sede commissum. Ne igitur pretextu translationis tue ad ecclesiam Reatinam, hujusmodi collectionis executio retardetur, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, hoc non obstante, in hujusmodi ministerio procedis sollicite ac prudenter juxta super hoc traditam tibi formam, ac nichilominus omnia legata et obventiones quaslibet, quovis modo, predicto subsidio in eisdem partibus deputata, necnon et omnem pecuniam truncorum ipsarum partium auctoritate nostra exigas, colligas et in tutis locis seu loco deponas, expositurus nobis fideliter per litteras tuas quantitatem quam de residuo predicte decime necnon delegatis et obventionibus ac truncis eisdem receperis, et apud quos vel quem illam duxeris deponendam; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Nolumus autem super hoc, propter lapsum temporis aliquod impedimentum vel obstaculum interponi. Dat. apud Urbemveterem, idibus octobris, anno primo. »

27 Orvieto, 15 octobre 1281.

Eidem mandat quatinus omnes, qui ratione hujusmodi absentiae a solutione dictae decimae cessaverint, ut debitam pecuniam exhibeant auctoritate apostolica compellat. — (Reg. 41, fol. 12 v°; ann. I, n° 27.)

« *Eidem.* Olim, ut asseris, commissa tibi ab Apostolica Sede in certis partibus regni Sicilie sollicitudine colligendi decimam Terre Sancte subsidio deputatam, teque postmodum ex causa rationabili in remotis agente quamplures illarum partium hujusmodi tue absentie occasione a solutione ipsius decime cessaverunt. Nos autem adaugeri potius quam minui hujusmodi subsidium cupientes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus omnes illos dictarum partium quos tibi constiterit a solutione ipsius decime, predicta vel alia quavis minus rationabili occasione cessasse, quod decimam integre exhibeant non solutam, monitione premissa appellatione remota auctoritate nostra compellas, lapsu temporis non obstante. Dat. ut supra. »

28 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem, cum propter rerum caristiam ex aureo augustali singulis diebus pro expensis sibi assignato, de pecunia ex ipsa decima collecta percipiendo, necessitatibus suis providere nequiret, usque ad valorem duorum florenorum, dicto augustali computato, de predicta pecunia percipiendi liberam concedit facultatem. — (Reg. 41, fol. 13; ann. I, n° 28.)

« *Eidem.* Olim in certis partibus officium colligendi decimam deputatam in subsidium Terre Sancte sollicitudini tue, ut asseris, Apostolica Sedes, commisit tibi postmodum et concessit, quod de pecunia ex ipsa decima colligenda, singulis diebus in quibus circa hujusmodi officii executione vacares, unum augustalem aureum reciperes pro expensis. Verum quia rerum et maxime victualium caristia adeo malitia temporum ministra succrevit, quod ex ipso augustali, ut proponis, nequis commode tuis necessitatibus providere a nobis in hac parte tibi provideri habundantius humiliter postulasti. Ne igitur ex necessitatis incommodo tepeas circa collectionis hujusmodi commodum procurandum, sed potius super hoc consurgas vigilantior postulare, provisionis beneficium assecutus, recipiendi juxta predicte concessionis formam de premissa pecunia usque ad valorem duorum florenorum auri dicto augustali computato, liberam tibi concedimus facultatem. Dat. apud Urbemveterem, nonis octobris, anno primo. »

29 Orvieto, 15 octobre 1281.

J., archiepiscopo Dublinensi et magistro Arditioni primicerio Mediolanensi, capellano suo, collectoribus decimae Terrae Sanctae in regno Angliae a Sede Apostolica deputatis, mandat quatinus nonnullos archiepiscopos, episcopos, abbates, capitula, priores, praelatos, rectores et alios clericos ecclesiarum dicti regni, qui, pro eo quod decimam proventuum ecclesiasticorum non integre solverunt, excommunicationis sententiam incurrerunt, moneant ut infra certum terminum hujusmodi decimam integre solvant, eis post solutionem absolutionem impensuri; alioquin ex tunc supradictos citare procurent ut infra tres menses coram papa compareant. — (Reg. 41, fol. 13; ann. I, n° 29; — Potthast, n° 21804.)

« *Venerabili fratri J., archiepiscopo Dublinensi, et dilecto*

filio magistro Arditioni, primicerio Mediolanensi, capellano nostro, collectoribus decime Terre Sancte in regno Anglie a Sede Apostolica deputatis (1). Significastis nobis quod —. Dat. apud Urbemveterem, idibus octobris, anno primo. »

30 Orvieto, 15 octobre 1281.

Eisdem, cum papae significaverint quod nonnulli, qui occasione decimae in Terrae Sanctae subsidium deputatae latam in generali Lugdunensi concilio vel aliam excommunicationis sententiam incurrerunt, in remotis partibus sint constituti, ac ipsi ad eos commode non possint accedere nec iidem ad ipsos, concedit ut supradictos absolvendi post satisfactionem plenariam ab hujusmodi sententia et cum eis dispensandi super irregularitate, si quam contraxerint, personis idoneis facultatem committant. — (Reg. 41, fol. 13; ann. I, nº 30.)

« *Eisdem.* Significastis nobis quod —. Dat. ut supra. »

31 Orvieto, 15 octobre 1281.

Eisdem cum significaverint papae quod multi ex collectoribus a Sede Apostolica in regno Angliae circa negotium supradictae decimae constitutis, hujusmodi decimae collectioni nequaquam vacare disponant, nisi alicujus retributionis subsequatur effectus, quam ut eis ab Apostolica Sede impendi procurarent promiserunt dictus Dublinensis archiepiscopus et quondam magister Raymundus de Nogeriis tunc collega ipsius in dicto negotio, respondet quod non videtur super hoc de novo aliquid esse statuendum. — (Reg. 41, fol. 13; ann. I, nº 31.)

« *Eisdem.* Significastis nobis quod nonnulli tam regulares quam seculares clerici a vobis et aliis superintendentibus, qui fuerunt pro tempore circa negotium decime concesse in subsidium Terre Sancte a Sede Apostolica in regno Anglie deputati, in eodem regno collectores ejusdem decime constituti, asserunt quod, prefata tenuitate reddituum suorum ecclesiasticorum ex immunitate super non prestanda decima de ipsis redditibus propter obsequium ipsius collectionis indulta eisdem admodum tenue co[m]modum assequuntur, quodque a te, frater archiepiscope, et quondam magistro Raymundo de Nogeriis, tunc collega tuo in collectione decime memorate, fuit eis promissum quod propter hoc procuraretis ipsis ab Apostolica Sede aliquam specialem retributionem impendi : unde cum multi ex premissis collectoribus constitutis a vobis hujusmodi collectione decime nequaquam vacare disponant, nisi effectus retributionis hujusmodi subsequatur, a nobis edoceri quid super hoc agendum sit humiliter postulastis. Nos itaque sic vobis duximus respondendum, quod, cum vacantibus collectioni decime in aliis provinciis in pecuniaria retributione nichil aliud quam immunitas a prestatione decime de suis redditibus sit concessum, in regno Anglie non videtur super hoc de novo aliquid statuendum. Dat. ut supra. »

32 Orvieto, 15 octobre 1281.

Eisdem, qui significaverunt papae quod nonnullorum monasteriorum monialium regni Angliae facultates sunt adeo tenues quod ipsae moniales mendicare compellerentur publice, nisi consanguineorum suorum elemosinis juvarentur, atque cum eas a solutione decimae immunes reddere nequeant, apostolicae provisionis pro eis in hac parte gratiam imploraverunt, respondet ut factas super hoc declarationes servent. — (Reg. 41, fol. 13 vº; ann. I, nº 32.)

« *Eisdem.* Significastis nobis quod —. Dat. ut supra. »

33 Orvieto, 13 octobre 1281.

Eisdem, qui papae significaverunt quod nonnulli prelati regni Angliae viam quam elegerant ad solvendum decimam de proventibus ecclesiasticis pro subsidio Terrae Sanctae juxta articulum declarationis super hoc factae non observant, respondet ut ipsi articulum memoratum servent. — (Reg. 41, fol. 13 vº; ann. I, nº 33.)

« *Eisdem.* Significastis nobis quod —. Dat. apud Urbemveterem, III idus octobris, anno primo. »

34 Orvieto, 14 octobre 1281.

Eisdem, de quadam quantitate pecuniae, de decima subsidio Terrae Sanctae deputata, ipsius Terrae ac domini Papae nomine apud nonnullos mercatores deposita, mandat quatinus de eadem quantitate nihil innovent, nisi probabiliter timeatur quod, dicta pecunia ibidem remanente, aliquod periculum imminere possit ; de reliqua vero pecunia ad dictum subsidium pertinente, quovis loco habeatur, in tutis locis prout utilitati Terrae Sanctae videbitur expedire, disponant. — (Reg. 41, fol. 13 vº; ann. I, nº 34.)

« *Eisdem.* Significastis nobis quod —. Dat. apud Urbemveterem, II idus octobris, anno primo. »

(1) Le registre porte *deputato.*

35 Orvieto, 1er octobre 1281.

Episcopo Vercellensi mandat quatinus cum nobili viro Bertholino, filio quondam Mathei comitis de Valperga, et nobili muliere Ysolda, filia Henrici comitis de Riparolio, ut matrimonium ad invicem contrahere valeant, dispenset, non obstante quod quarto gradu consanguinitatis ipsi Bertholinus ac Ysolda conjuncti sint. — (Reg. 41, fol. 13 vo; ann. I, no 35.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Vercellensi.* Ex relatione dilecti filii Frederici procuratoris ecclesie Yporiensis accepimus fidedignorum testimoniis comprobata, quod ea occasione quod aliqui de agnatione sua sibi pro defensione jurium ipsius ecclesie, que nobilis vir .. marchio Montisferrati multipliciter impugnabat, favorabiliter astiterunt, quidam vero ex eadem agnatione predicto marchioni temere adheserunt, graves inter eos inimicitie sunt exorte, ex quibus nonnulla homicidia, patrie turbatio et quam plurimum castrorum et aliorum locorum illarum partium destructio et depopulatio contigerunt et graviora si, quod absit, eedem inimicitie procedant ulterius, non immerito formidantur. Quare predictus procurator nobis humiliter supplicavit ut, cum verisimiliter presumatur, quod si inter dilectos filios nobilem virum Bertholinum, filium quondam Mathei comitis de Valperga, qui fuit de adherentibus marchioni predicto, et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Ysoldam, natam nobilis viri Henrici comitis de Riparolio, qui procuratori astitit memorato, quarto gradu consanguinitatis conjunctos, matrimonium celebretur, exinde pax et concordia inter dictos Bertholinum et patrem ipsius Ysolde, qui pre ceteris agnatis ex certis causis odii et inimicitiarum potiori stimulo perurgentur, et inter agnatos predictos poterunt reformari et profectuum suscipere incrementum, ac eadem ecclesia relevari a quampluribus oppressionibus, quibus multipliciter aggravatur, et a multorum molestatorum incursibus defensari, dispensare cum eis ut, impedimento quod ex predicto gradu consanguinitatis provenit non obstante, matrimonialiter conjungi valeant, de benignitate apostolica, dignaremur. Nos igitur, de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus si, inquisita diligentius veritate, tibi constiterit de premissis, tandem, consideratis diligenter circumstantiis universis que super hoc attendente fuerint, si secundum Deum videris expedire, cum predictis Bertholino et Ysolda, ut matrimonium ad invicem contrahere valeant et in contracto permanere, impedimento non obstante predicto, auctoritate nostra studeas dispensare. Dat. apud Urbemveterem, kal. octobris, anno primo. »

36 Orvieto, 7 octobre 1281.

Regi Franciae et Mariae reginae uxori ejus quotiescumque in praedicationibus ipsos adesse contigerit, ac omnibus qui, ipsis praesentibus, in dictis praedicationibus intererunt, centum dies de injuncta poenitentia relaxat. — (Reg. 41, fol. 14; ann. I, no 36.)

« *Carissimo in Christo filio .. regi Francie illustri.* Dum sublimium excellentiam meritorum quibus in orbe terrarum tua generosa prosapia quasi quodam singulari fulgore corruscat sedula consideratione discutimus et sincerissime devotionis plenitudinem quam inclita domus tua erga Romanam ecclesiam habere conspicitur, attenta meditatione pensamus non indignum opus exequi credimus, si precelsum regni Francie solium singularibus favoribus confoventes, illud spetialibus gratiis, et honoribus precipuis decoremus. Regiis itaque supplicationibus inclinati, sic tuam et carissime in Christo filie nostre Marie, illustris regine Francie, uxoris tue personas eximie dono gratie honorare volentes, ut et alii etiam obtentu vestro spiritualia commoda consequantur, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, tibi et eidem uxori, quotienscumque in predicationibus vos adesse contigerit, ac omnibus etiam vere penitentibus et confessis qui, vobis, vel altero vestrum presentibus, in illis intererunt, centum dies de injuncta vobis et eis penitentia relaxamus. Dat. apud Urbemveterem, nonis octobris, anno primo. »

37 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem, quotiescumque eum ad alicujus ecclesiae vel capellae dedicationem vel consecrationem interesse contigerit, omnibusque aliis qui illuc accesserint illa die, annum unum et quadraginta dies de injunctis poenitentiis relaxat. — (Reg. 41, fol. 14; ann. I, no 37.)

« *Eidem.* Eximie caritatis zelus quem ad personam regiam tuamque domum inclitam gerimus nostrum instanter sollicitat animum, ut te ac illam prelucidis meritorum titulis insignitam prerogativa favoris et gratie prosequentes, circa ea nos faciles et benivolos impendamus per que tibi et eidem domui, superna favente clementia, honoris et exaltationis grande proveniat incrementum. Regiis itaque supplicationibus inclinati, quotienscumque te ad alicujus ecclesie vel capelle dedicationem vel consecrationem ire vel interesse ibidem contigerit, tibi tuique obtentu omnibus aliis vere penitentibus et confessis qui ad eandem ecclesiam vel capel-

lam accesserint illa die, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, annum unum et quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. ut supra. »

38 Orvieto, 7 octobre 1281.

Philippo regi Franciae indulget ut omnibus qui pro eo Deum implorabunt, singulis diebus quibus sic orarint, viginti dies de injuncta eis poenitentia relaxentur. — (Reg. 41, fol. 14; ann. I, nº 38)

« *Philippo regi Francie illustri.* Regalis providentie magnitudo laudum sonoris efferenda preconiis, recto consilio ducitur, salubrique dirigitur actione, dum tu breve vite presentis spatium statum stabilem non habentis, sollicita consideratione discutiens, novissima tua prevenire satagis studiis pie vite, tam bonorum operum, quam devotarum orationum tibi suffragia preparando, ut eum de hujus valle miserie, ad patrie celestis gloriam fueris revocatus, apud judicis eterni clementiam misericordiam consequaris. Nos itaque, pia desideria mentis tue favorabili effectu prosequi cupientes, ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis qui devotis orationibus divinam pro te misericordiam implorabunt, singulis diebus quibus apud Dominum orationes effuderint, viginti dies de injuncta eis penitentia misericorditer relaxamus. Dat. ut supra. »

39 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut elemosinae ejus cedant loco restitutionis bonorum, si qua ex progenitorum successione vel alias ad eum pervenisse noscantur, dummodo non constet personas quibus eorum restitutio fieri debeat ad ejus notitiam pervenisse. — (Reg. 41, fol. 14 vº; ann. I, nº 39.)

« *Eidem Philippo.* Salutis regie incrementum et ut semper Domino Deo tuo reddaris acceptior, plenis affectibus cupientes ac volentes conscientie tue super restitutione bonorum, si qua ex progenitorum tuorum successione vel alias ad te pervenisse noscantur, facienda forsitan hiis quibus illa debentur, licet, ut asseris, nescias ad restitutionem aliquam bonorum hujusmodi aliquibus te teneri, paterne diligentie studio providere, celsitudini regie ut elemosine, quas pia munificentia tua facit et faciet in futurum, cedant loco restitutionis predictorum bonorum, auctoritate presentium indulgemus. Verum tamen scire te volumus, quod si tibi constiterit te ad hujusmodi restitutionem bonorum teneri, et personas, quibus eorum restitutio fieri debeat, ad tuam contingat notitiam pervenire, te ipsis predicta bona restituere nichilominus oportebit. Nulli ergo etc., nostre concessionis etc. Dat. ut supra. »

40 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut capellae ejus Parisiensis ac etiam alii ejus familiares domestici clerici ad omnes sacros ordines a quibuscunque maluerit episcopis, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentibus, statutis temporibus promoveri valeant. — (Reg. 41, fol. 14 vº; ann. I, nº 40.)

« *Eidem.* Excellens devotio regie —. Dat. ut supra. »

41 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut apostolicae vel aliquae aliae canonis seu judicis excommunicationis vel interdicti sententiae generales ad personam ejus, nisi forte in eis expressa de ipso mentio fierit, extendi non valeant. — (Reg. 41, fol. 14 vº; ann. I, nº 41.)

« *Eidem.* Grandia regie celsitudinis —. Dat. ut supra. »

42 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut nullus in terram ejus interdicti sententiam absque mandato Sedis Apostolicae speciali proferre possit. — (Reg. 41, fol. 14 vº; ann. I, nº 42; — Potthast, nº 21798.)

« *Eidem.* Quanto majoris apud —. Dat. ut supra. »

43 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem concedit ut si eum majori excommunicatione ligatis, non tamen in crimine, quod absit, participari contigerit, propter hoc minoris excommunicationis vinculo non ligetur. — (Reg. 41, fol. 14 vº; ann. I, nº 43.)

« *Eidem.* Redundat, fili, nobis —. Dat. ut supra. »

44 Orvieto, 10 octobre 1281.

Eidem indulget ut, si eum ad loca ecclesiastico interdicto supposita declinare contigerit, liceat ei et familiaribus ejus

domesticis ibidem, clausis januis, interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, audire divina, etiamsi voce alta eadem celebrentur, dummodo ipse aut familiares praedicto causam non dederint interdicto. — (Reg. 41, fol. 14 v°; ann. I, n° 44.)

« *Eidem.* Et si cunctis —. Dat. apud Urbemveterem, VI idus octobris anno primo. »

45 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut presbyterum saecularem seu religiosum in confessorem eligere valeat, ac ipsi confessori concedit facultatem eum ab excommunicationum sententiis absolvendi. — (Reg. 41, fol. 15; ann. I, n° 45.)

« *Eidem.* Affluentis devotionis affectus quem erga Romanam Ecclesiam habere dinosceris promeretur ut petitionibus regiis, presertim illis que animarum salutem respiciunt, benivolum accomodemus auditum, eas ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo possumus, favorabiliter admittentes. Tuis itaque precibus inclinati, excellentie regie auctoritate presentium indulgemus, ut, quandocumque et quotienscumque malueris, aliquem discretum presbiterum secularem seu etiam religiosum in tuum eligere confessorem, eoque dimisso, alium quotiens et quando expedire videris assumere valeas, qui, audita confessione tua, injungat tibi pro commissis penitentiam salutarem ac beneficium debite absolutionis impendat; ceterum eidem confessori absolvendi te juxta formam Ecclesie ab excommunicationum canonum sententiis, si quas forsitan incurristi vel incurrere te contigerit in futurum, ni adeo graves et enormes excessus existerent, propter quos esset Apostolica Sedes merito consulenda, plenam tenore presentium concedimus facultatem. Nulli ergo nostre concessionis etc. Dat. apud Urbemveterem, nonis octobris, anno primo. »

46 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut in personam ejus nullus auctoritate ordinaria vel etiam delegata possit excommunicationis sententiam promulgare absque speciali Sedis Apostolice mandato faciente plenam et expressam de persona ejus et toto tenore indulgentiae hujusmodi mentionem. — (Reg. 41, fol. 15; ann. I, n° 46.)

« *Eidem.* Celsitudinis regie gratificari —. Dat. ut supra. »

47 Orvieto, 14 octobre 1281.

Philippo regi Francorum indulget ut clerici ei adhaerentes commissiones Sedis Apostolicae aut legatorum ipsius inviti suscipere minime teneantur, nisi ejusdem Sedis litterae de indulto hujusmodi plenam et expressam fecerint mentionem. — (Reg. 41, fol. 15; ann. I, n° 47.)

« *Philippo regi Francorum illustri.* Ne pretextu causarum seu negotiorum que adherentibus tibi clericis a Sede Apostolica vel legatis ejus aliquando delegantur, iidem clerici forsitan occupati a regiis quibus vacant obsequiis abstrahantur, sed a sollicitudinibus aliis potius expediti, sit illis possibilitas tuis agendis liberius ac utilius intendendi, serenitatis tue desideriis in hac parte affectui benivolo concurrentes, ut memorati clerici, eisdem insistentes obsequiis, commissiones si quas ipsis per dicte Sedis aut legatorum ipsorum litteras fieri contigerit, inviti suscipere, aut per illas de quibuscumque causis vel negotiis se intromittere minime teneantur, nisi eedem Sedis ipsius littere plenam et expressam de indulto hujusmodi fecerint mentionem, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis, etc. Dat. apud Urbemveterem, II idus octobris, anno primo. »

48 Orvieto, 10 octobre 1281.

Philippo regi Francorum indulget ut si aliqui ex clericis ejus de licentia regia se Parisius litterarum studio contulerint, redditus et proventus beneficiorum suorum, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, percipere valeant ac si in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinent personaliter residerent. — (Reg. 41, fol. 15; ann. I, n° 48; — Potthast, n° 21802.)

« *Philippo regi Francie illustri.* Regie serenitatis precibus inclinati auctoritate tibi presentium indulgemus ut si aliqui ex clericis tuis, qui tuis insistunt obsequiis vel insistent in posterum, de licentia regia se Parisius, ubi consuevisti frequentius immorari, litterarum studio duxerint deputandos, possint redditus et proventus beneficiorum suorum, etiamsi sint dignitates vel personatus et curam habeant animarum, cotidianis distributionibus duntaxat exceptis, cum ea integritate percipere valeant cum qua illos perciperent si in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinent personaliter residerent. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. —. Dat. apud Urbemveterem, VI idus octobris, anno primo. »

In e. m. abbati monasterii sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis, quatinus praedictos redditus et proventus eisdem clericis ministrari faciat. — Dat. ut supra.

49 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut clerici ejus obsequiis insistentes proventus omnium beneficiorum suorum, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, percipere valeant ac si in ecclesiis suis personaliter residerent. — (Reg. 41, fol. 15 v°; ann. I, n° 49.)

« *Eidem.* Exigit regalis devotionis —. Dat. ut supra. »

In e. mo. abbatibus monasteriorum Sancti Dyonisii in Francia et Sancti Germani de Pratis, quatinus praedictis clericis proventus praefatos integre ministrari faciant.

50 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut personae et clerici quos dictus rex ad inquirendum et restituendum ea quae ipse seu pater seu ballivi ejus extorserunt elegerit, interim redditus et proventus suos ecclesiasticos percipere valeant, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, ac si in ecclesiis suis personaliter residerent. — (Reg. 41, fol. 15 v°; ann. I, n° 50.)

« *Eidem.* Accedit nobis ad delectationis multiplicis incrementum sic benigne regiis annuere precibus ut ex hoc etiam hiis quos ad tua duxeris deputandos obsequia favor et gratia preducatur. Tuis itaque desideriis gratificari volentes, personis et clericis quos ad inquirendum et restituendum ea que pater tuus, seu tu, vel ballivi tui indebite extorsistis, elegeris, auctoritate presentium indulgemus, ut interim redditus et proventus suos ecclesiasticos, etiam si persone vel clerici supradicti dignitates, personatus, vel alia beneficia que curam habeant animarum obtineant, cum ea integritate, cotidianis distributionibus duntaxat exceptis, percipere valeant, cum qua illos perciperent si in ecclesiis, a quibus eos propter hoc evocari contigerit, personaliter residerent : non obstantibus contrariis ecclesiarum ipsarum consuetudinibus vel statutis juramento confirmatione apostolica aut quacumque firmitate alia roboratis, et quavis alia Sedis Apostolice indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat per quam id impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore plenam et expressam oporteat in presentibus fieri mentionem, proviso quod interim hujusmodi dignitates personatus aut alia beneficia debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo nostre concessionis etc. Dat. ut supra. »

In e. mo. abbatibus monasteriorum Sancti Dyonisii in Francia Parisiensis diocesis et Sancti Germani de Pratis juxta Parisius quatinus personis et clericis supradictis redditus et proventus eosdem faciant integre ministrari. — Dat. ut supra.

51 Orvieto, 7 octobre 1281.

Archiepiscopis et episcopis ac aliis ecclesiarum prelatis per regnum Franciae constitutis mandat quatinus nolint impedire quominus rex Franciae, ballivi, praepositi et officiales ac barones et nobiles regni ipsius contra crucesignatos laicos eis subditos in enormibus duntaxat criminibus procedere valeant. — (Reg. 41, fol. 16; ann. I, n° 51; — Bibl. nat.; Moreau, n° 1221, fol. 32.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac aliis ecclesiarum prelatis per regnum Francie constitutis etc.* Ex parte carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris fuit propositum coram nobis quod vos quominus rex ipse ac ballivi, prepositi et officiales ejus ac barones et nobiles regni sui laicos crucesignatos ipsius regni, regis, baronum et nobilium predictorum jurisdictioni subjectos, pro suis delictis puniant, in hiis in quibus cognitio ad seculare forum pertinere dinoscitur pro vestre voluntatis libito impeditis, sicque nonnulli crucesignati ejusdem regni tali pretextu assumunt audatiam delinquendi. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus si premissis veritas suffragatur impedire nolitis quominus prefatus rex, ballivi prepositi et officiales ipsius ac barones et nobiles memorati contra crucesignatos laicos terrarum suarum eis subditos in enormibus dumtaxat criminibus que sanguinis vindictam requirunt procedere valeant consuetudine contraria non obstante. Alioquin dilecto filio .. abbati sancti Dionisii in Francia, Parisiensis diocesis, nostris damus litteris in mandatis ut vos ad id, si necesse fuerit, monitione premissa auctoritate nostra appellatione remota compellat. Dat. apud Urbemveterem, nonis octobris, pontificatus nostri anno primo. »

52 Orvieto, 7 octobre 1281.

Abbati Sancti Dyonisii in Francia mandat quatinus si dicti archiepiscopi, episcopi et prelati mandatum papae super eodem neglexerint adimplere, ipse abbas eos ad id si necesse fuerit auctoritate apostolica, compellat. — (Reg. 41, fol. 16; ann. I, n° 52.)

« .. *abbati sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis.* Ex parte carissimi —. Dat. ut supra. »

53 Orvieto, 20 octobre 1281.

Archiepiscopis et episcopis per regnum Franciae constitutis mandat quatinus clericos, qui diocesium suarum potius saecularibus negotiationibus quam divinis officiis intendunt, ac privilegio clericali gaudere volentes nolunt statutis patriae subjacere, moneant ut a talibus resipiscant; si autem iidem clerici ab his non resipuerint, cum facto privilegium clericale abjiciant, ipsos non defendant. — (Reg. 41, fol. 16; ann. I, nº 53.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis.* Ex parte carissimi in Christo filii nostri Phylippi, regis Francorum illustris, fuit propositum coram nobis quod nonnulli clerici terre sue vestrarum civitatum et diocesium potius secularibus negotiationibus quam divinis officiis intendunt, et gaudere volentes privilegio clericali, nolunt statutis et consuetudinibus patrie, quibus, quotiens expedit, sicut laïci se tuentur in negotiationum suarum questibus, subjacere. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus hujusmodi clericos nominatim tertio et per competentia intervalla dierum diligenter monere curetis, ut a talibus resipiscant. Quod si ipsi a vobis sic moniti ab hiis non resipuerint, sed, pretermissis divinis officiis, negotiationibus institerint memoratis, cum facto privilegium abiciant clericale, quominus dum predictis se implicant, statutis et consuetudinibus eisdem subjaceant, non defendatis eosdem : mandatum nostrum in hac parte taliter impleturi, quod non de negligentia reprehendi, sed de diligentia potius commendari merito valeatis, nec oporteat per apostolice sollicitudinis studium remedium adhiberi. Dat. apud Urbemveterem, XIII kal. novembris, anno primo. »

54 Orvieto, 21 octobre 1281.

Abbati Cisterciensi mandat quatinus, secundum Gregorii Papae decimi mandata, pecuniam decimae a monasteriis et locis Cisterciensis ordinis regi Franciae persolvendae, et subsidio Terrae Sanctae deputatae, videlicet per annos singulos octo milia librarum turonensium, apud Templum Parisius integraliter disponi procuret, ac de quantitate quadam pecuniae predictae eidem regi mutuata, postquam restituta fuerit, eodem modo disponat, et alioquin ab abbate Sancti Dionysii auctoritate apostolica sese compellendum esse cognoscat. — (Reg. 41, fol. 16; ann. I, nº 54.)

« .. *abbati Cistertiensi.* Dudum in concilio Lugdunensi felicis recordationis Gregorius papa X^us, predecessor noster, inter cetera de fratrum suorum consilio ordinavit, statuit et decrevit ut de pecunia decime a monasteriis et locis Cistertiensis ordinis regi Francie persolvende, octo milia librarum turonensium per annos singulos, quibus decima ipsa cujus exactio seu collectio tibi et dilecto filio .. abbati Clarevallensi ab eodem predecessore dicitur fuisse commissa, deputata extitit subsidio Terre Sancte, certo loco seu locis deponere procurares. Sed, sicut accepimus, id facere pro tue voluntatis libito neglexisti. Nos igitur, ad promotionem negotii dicte Terre, quod potissime cordi gerimus, sollicitis studiis intendentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad depositionem hujusmodi apud Templum Parisius integraliter faciendam, sublata qualibet difficultate, procedas. Et quia intelleximus quod de summa hujusmodi pecunie deponende, certam quantitatem carissimo in Christo filio nostro Phylippo illustri regi Francie mutuasti, volumus et precipimus tibi, ut postquam ab ipso rege hujusmodi mutuum tibi fuerit restitutum, illud apud Templum predictum, redditis ipsi regi litteris tibi concessis super hujusmodi mutuo ab eodem, deponere non omittas, nobis quod in hac parte feceris plenius rescripturus. Alioquin dilecto filio .. abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis, nostris damus litteris in mandatis, ut te ad id, si necesse fuerit, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Dat. apud Urbemveterem, XII kal. novembris, anno primo. »

55 Orvieto, 21 octobre 1281.

Abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia mandat quatinus, si praedictus abbas Cisterciensis negotium sibi injunctum neglexerit, eum ad id auctoritate apostolica compellat. — (Reg. 41, fol. 16 vº; ann. I, nº 55.)

« .. *abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia Parisiensis diocesis.* Dudum in concilio Lugdunensi, etc., ut in proxima superiori usque : cujus exactio seu collectio dilectis filiis .. Cisterciensi et Clarevallensi abbatibus, ab eodem predecessore, etc., usque : certo loco seu locis dictus abbas Cistertiensis deponere procuraret, sed, sicut accepimus, id facere neglexit pro sue libito voluntatis. Nos igitur ad promotionem negotii dicte Terre quod potissime cordi gerimus, sollicitis studiis intendentes, eidem abbati Cistertiensi nostris damus litteris in mandatis ut ad depositionem hujusmodi apud Templum Parisius integraliter faciendam sublata qualibet difficultate procedat. Et quia intelleximus quod de summa hujusmodi pecunie deponende prefatus abbas Cistertiensis carissimo in Christo filio nostro Phylippo illustri regi Francie mutuavit, volumus et eidem abbati Cistertiensi per nostras litteras injungimus ut postquam ab

ipso rege hujusmodi mutuum sibi fuerit restitutum illud apud Templum predictum, redditis ipsi regi litteris sibi concessis super hujusmodi mutuo ab eodem, deponere non omittat, nobis quod in hac parte fecerit plenius rescripturus. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus si dictus abbas Cistertiensis mandatum nostrum in hac parte neglexerit adimplere, tu eum ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Dat. ut supra. »

56 Orvieto, 15 octobre 1281.

Abbatibus monasteriorum Sancti Dyonisii in Francia et Sancti Germani de Pratis mandat quatinus Philippum regem Franciae a quibuslibet molestari non permittant, dummodo in negociis quae causae cognitionem exigunt sese intromittere non praesumant. — (Reg. 41, fol. 16 v°; ann. I, n° 56.)

« *Dilectis filiis .. Sancti Dyonisii in Francia Parisiensis diocesis et .. Sancti Germani de Pratis prope Parisius monasteriorum abbatibus.* Consuevit Apostolice Sedis benignitas personarum illustrium quas sibi non ignorat esse devotas, libenter votis annuere ac illas specialis favoris et gratie presidio communire. Attendentes igitur grandis devotionis affectum quem carissimus in Christo filius noster Phylippus rex Francie illustris ad eandem Sedem habere conspicitur, et propterea volentes personam suam favoribus prosequi oportunis, ejus devotis supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum per vos vel per alium seu alios eidem regi oportuni favoris presidio assistentes, non permittatis ipsum ab aliquibus contra indulta privilegiorum Sedis Apostolice indebite molestari, molestatores, etc. usque compescendo; non obstante si aliquibus a Sede sit indultum eadem, quod excommunicari, suspendi vel interdici seu extra vel ultra certa loca trahi non possint, per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi eorum personis, locis vel ordinibus mentionem, seu qualibet prefate Sedis indulgentia per quam vestre jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et constitutione de duabus dictis edita in concilio generali : attentius provisuri ne de hiis que cause cognitionem exigunt, et que indulta hujusmodi non contingunt, vos intromittere presumatis. Nos enim, si secus presumpseritis tam presentes litteras quam etiam processum quem per vos illarum auctoritate haberi contigerit omnino carere viribus, ac nullius fore decernimus firmitatis. Hujusmodi ergo mandatum nostrum sic prudenter et fideliter exequi procuretis, quod ejus fines nullatenus excedatis, presentibus post quinquennium minime valituris. Dat. apud Urbemveterem, idibus octobris, anno primo. »

57 Orvieto, 15 octobre 1281.

In eundem modum abbati Sancti Dyonisii in Francia pro Roberto comite Clarimontis. — (Reg. 41, fol. 16 v°; ann. I, n° 57.)

« *.. abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia Parisiensis diocesis.* Consuevit Apostolice Sedis etc. ut in proxima superiori, usque devotionis affectum, quem dilectus filius nobilis vir Robertus, comes Clarimontis, ad eandem Sedem habere conspicitur etc. verbis competenter mutatis usque in fine, excepto quod non ponitur de constitutione de duabus dictis, etc. »

58 Orvieto, 12 octobre 1281.

Roberto comiti Clarimontis concedit ut clerici ejus obsequiis intendentes, quamdiu in eisdem fuerint, proventus beneficiorum suorum, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, percipere valeant, acsi in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinent, personaliter residerent. — (Reg. 41, fol. 16 v°; ann. I, n° 58.)

« *Nobili viro Roberto comiti Clarimontis.* Habet in nobis. — Dat. apud Urbemveterem, VIII idus octobris, anno primo. »

In e. mo. abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia mandat quatinus dictis clericis eosdem proventus juxta concessionis praedictae tenorem ministrari faciat. — Dat. ut supra.

59 Orvieto, 15 octobre 1281.

Eidem Roberto et Beatrici uxori ejus indulget ut in personas eorum nullus auctoritate ordinaria seu etiam delegata possit excommunicationis sententiam promulgare absque Sedis Apostolicae mandato speciali de tenore indulgentiae hujusmodi facienti plenam et expressam mentionem. — (Reg. 41, fol. 17 r°; ann. I, n° 59.)

« *Dilecto filio nobili viro Roberto comiti et dilecte in Christo filie nobili mulieri Beatrici uxori ejus comitisse*

Clarimontis. Meruit sincera devotio —. Dat. apud Urbemveterem, idibus octobris, anno primo. »

60 Orvieto, 6 octobre 1281.

Magistro Johanni de Cato, clerico et medico Roberti comitis Clarimontis concedit canonicatum ecclesiae Morinensis, et prebendam in ipsa ecclesia vacantem aut proximo vacaturam reservat, et magistrum Benedictum de Aquino, canonicum Belvacensem, pro eo de eadem investiri jubet. — (Reg. 41, fol. 17 v°; ann. I, n° 60.)

« *Magistro Johanni de Cato, canonico Morinensi.* Considerantes devotionis eximie puritatem quam dilectus filius nobilis vir Robertus clare memorie .. regis Francie filius, comes Clarimontis, erga nos et Romanam Ecclesiam habere dinoscitur, dignum reputamus et congruum ut non solum circa ipsum, sed ad illos etiam, qui ejus obsequiis immorantur, Sedis Apostolice gratiam favorabiliter extendamus. Volentes itaque consideratione ipsius comitis cujus clericus et medicus existis, ac etiam ob tuorum exigentiam meritorum super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur, personam tuam speciali prosequi gratia et favore, canonicatum ecclesie Morinensis cum plenitudine juris canonici, et prebendam nulli alii de jure debitam, si qua in ecclesia ipsa vacat ad presens, cum omnibus juribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, providemus de illis, et dilectum filium magistrum Benedictum de Aquino, clericum et familiarem nostrum, canonicum Belvacensem investimus per nostrum anulum pro te ac tuo nomine de eisdem. Si vero nulla talis prebenda vacat ad presens in ecclesia supradicta, nos prebendam hujusmodi primo in eadem ecclesia vacaturam que similiter de jure nulli alii debeatur conferendam, tibi donationi apostolice reservamus : decernentes ex nunc irritum et inane si secus super hiis apostolica vel alia quavis auctoritate a quoquam contigerit attemptari, non obstantibus de certo canonicorum numero, seu quibuslibet aliis ipsius ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis, juramento, confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate vallatis, aut si aliqui apostolica, quibus nolumus per hoc prejudicium generari, vel alia quacumque auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si venerabili fratri nostro .. episcopo ad quem in eadem ecclesia prebendarum collatio, et dilectis filiis .. decano et capitulo Morinensibus, ad quos in ecclesia ipsa canonicorum receptio pertinere dicuntur communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli non possint, quodque de prebendis ipsius ecclesie seu beneficiis ad ipsius episcopi collationem spectantibus, nulli valeat provideri per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia predicte Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi nostre gratie impediri possit quomodolibet, vel differri, et de qua cujusque toto tenore in nostris litteris habenda sit mentio specialis, seu quod in Pinthoniensis, Ambianensis, et Antwerpiensis, Cameracensis diocesium ecclesiis, canonicatus et prebendas nosceris obtinere. Nulli ergo, nostre collationis, provisionis, investiture, reservationis, et constitutionis infringere etc. Dat. apud Urbemveterem, II nonas octobris, anno primo. »

In e. mo. decano ecclesie Sancti Germani Autisiodorensis Parisiensis et magistro Johanni de Monte Morentiaco canonico Parisiensi mandat quatinus dictum Johannem in canonicum Morinensis ecclesiae recipi faciant et ei hujusmodi prebendam conferri seu assignari procurent. — Dat. ut supra.

61 Orvieto, 6 octobre 1281.

In eundem modum Petro dicto Amiart, clerico Roberti comitis Clarimontis, concedit canonicatum et prebendam in ecclesia de Nigella, Noviomensis diocesis, non obstante quod ecclesiae Sanctae Genovefae de Capella prope Parisius existi noscatur. — (Reg. 41, fol. 17 v°; ann. I, n° 61.)

« *Petro dicto Amiart, canonico ecclesie de Nigella, Noviomensis diocesis.* Considerantes devotionis eximie. — Dat. ut supra. »

In e. mo. abbati monasterii Sancti Dyonisi in Francia mandat quatinus dictum Petrum Amiart in canonicum praefatae ecclesiae de Nigella recipi procuret. — Dat. ut supra.

Eidem in e. mo. mandat quatinus magistrum Philippum de Domibus, ejusdem nobilis clericum, in canonicum ecclesiae Sancti Johannis in Burgo Laudunensi recipi procuret. — Dat. ut supra.

62 Orvieto, 6 octobre 1281.

Magistro Philippo de Domibus canonicatum ecclesiae Sancti Johannis in Burgo Laudunensi concedit, non obstante quod in ecclesia Sancti Quintini in Viromandia, Noviomensis diocesis,

dictus Philippus canonicatum et prebendam obtinere noscatur. — (Reg. 41, fol. 17 v°; ann. I, n° 62.)

« *Dilecto filio magistro Philippo de Domibus canonico ecclesie Sancti Johannis in Burgo Laudunensi.* Considerantes devotionis eximie. — Dat. ut supra. »

In e. mo. .. abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia quatinus in dicta ecclesia dictum Philippum in canonicum recipi procuret. — Dat. ut supra.

63 Orvieto, 7 octobre 1281.

Mariae, reginae Franciae, concedit ut in personam ejus nullus auctoritate ordinaria vel etiam delegata possit excommunicationis sententiam promulgare absque speciali Sedis Apostolicae mandato. — (Reg. 41, fol. 18; ann. I, n° 63.)

« *Carissime in Christo filie Marie, regine Francie illustri.* Inter ceteras Sedis —. Dat. apud Urbemveterem, nonis octobris, anno primo. »

64 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem concedit ut ejus servientes famulique, in ipsius servitio commorantes, absente presbytero parrochiali, presbyteris religiosis Predicatorum vel Minorum aut aliorum ordinum qui cum ea fuerint, quanquam ipsi presbyteri continue forsan in ejus curia non morentur, peccata confiteri possint, et ab eis poenitentiam salutarem recipere valeant. — (Reg. 41, fol. 18; ann. I, n° 64; — Potthast n° 21797.)

« *Eidem.* Ut gratiosus apostolice —. Dat. ut supra. »

65 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem concedit ut capellani et clerici ejus tam religiosi quam saeculares, coram ipsa vel in capella seu curia ipsa divinum officium celebrantes, ubicunque in ejus morando servitio juxta morem capellae Parisiensis regis Franciae, quod ad celebrandum aliud officium, juxta constitutiones ordinum vel consuetudines ecclesiarum sibi impositum, minime teneantur. — (Reg. 41, fol. 18; ann. I, n° 65.)

« *Eidem.* Prebemus, filia, exigente —. Dat. ut supra. »

66 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut apostolicae vel aliae canonis seu judicis delegati excommunicationis vel interdicti sententiae generales ad personam ejus, nisi forte in eis expressa de ipsa mentio fieret, extendi non valeant. — (Reg. 41, fol. 18; ann. I, n° 66.)

« *Eidem.* Grandia regie celsitudinis —. Dat. ut supra. »

67 Orvieto, 10 octobre 1281.

Eidem indulget ut, cum ad loca ecclesiastico supposita interdicto eam declinare contigerit, ibidem facere celebrari et audire divina officia cum familiaribus ejus domesticis possit, januis clausis, non pulsatis campanis, submissa et etiam in praecipuis et magnis festivitatibus alta voce seu etiam solemniter, excommunicatis tamen et interdictis exclusis, dummodo ipsa vel iidem familiares causam non dederint interdicto. — (Reg. 41, fol. 18 v°; ann. I, n° 67.)

« *Eidem.* Claris tue celsitudinis —. Dat. apud Urbemveterem, VI idus octobris, anno primo. »

68 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut aliquem discretum presbyterum, religiosum seu etiam saecularem in suum possit eligere confessorem; eidem etiam confessori liceat eam ab excommunicationum canonum sententiis absolvere ac superveniente eidem aegritudine corporis dispensare ut ad jejuniorum observantiam minime teneatur. — (Reg. 41, fol. 18 v°; ann. I, n° 68.)

« *Eidem.* Etsi Sedis apostolice —. Dat. apud Urbemveterem, nonis octobris, anno primo. »

69 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut sex clerici in ejus obsequiis immorantes quorum nomina in presentia executoris presentis gratiae exprimenda sunt, quamdiu in dictis obsequiis fuerint, proventus beneficiorum suorum, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, integre percipere valeant, ac si in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinent personaliter residerent. — (Reg. 41, fol. 18 v°; ann. I, n° 69.)

« *Eidem.* Quanto majori apud —. Dat. ut supra. »

In e. mo. .. abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia quatinus dictis clericis predictos proventus ministrari faciat. — Dat. ut supra.

70 Orvieto, 7 octobre 1281.

Blancae, sorori Philippi Francorum regis indulget ut tres

clerici ejus quorum nomina in presentia executoris presentis gratiae exprimenda sunt, quamdiu in obsequiis ejus fuerint, proventus beneficiorum suorum quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, integre percipere valeant ac si personaliter in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinent residerent. — (Reg. 41, fol. 19 r°; ann. I, n° 70.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Blance sorori carissimi in Christo filii nostri Phylippi regis Francorum illustris.* Eximie devotionis affectum —. Dat. ut supra. »

In e. mo. .. abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia, quatinus eisdem clericis dictos proventus ministrari faciat. — Dat. ut supra.

71 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut capellani et clerici ejus tam religiosi quam saeculares, ubicumque in suo morando servitio divinum celebrantes officium juxta morem Parisiensis ecclesiae, ad aliud celebrandum officium sibi juxta constitutiones ordinum vel consuetudines ecclesiarum impositum minime teneantur. — (Reg. 41, fol. 19; ann. I, n° 71.)

« *Eidem.* Devotio tue magnitudinis —. Dat. ut supra. »

72 Orvieto, 7 octobre 1281.

Eidem indulget ut monasterium Regalis Montis, Cisterciensis ordinis, Belvacensis diocesis, cum quatuor matronis honestis devotionis causa bis in anno intrare valeat, dummodo ipsa et eaedem matronae in dicto monasterio minime pernoctent. — (Reg. 41, f° 19, ann. I, n° 72.)

« *Eidem.* Ex tue magnitudinis —. Dat. ut supra. »

73 Orvieto, 7 octobre 1281.

Philippo, filio regis Francorum, concedit ut aliquem discretum presbyterum secularem seu religiosum in suum possit eligere confessorem. — (Reg. 41, fol. 19; ann. I, n° 73.)

« *Nobili viro Philippo, nato carissimi in Christo filii nostri .. regis Francie illustris.* Exultat, fili cor —. Dat. ut supra. »

74 Orvieto, 25 octobre 1281.

Archidiacono Briae in ecclesia Parisiensi mandat quatinus nonnullos clericos et laicos, qui vivente L. rege Francorum, signum crucis assumpserunt, et postea redemptionibus a se factis votorum suorum plenarie satisfacere noluerunt, auctoritate apostolica compellat quod hujusmodi satisfactionem impendant, ac pecuniae quantitatem in hac parte receptam apud Templum Parisius nomine Terrae Sanctae deponat. — (Reg. 41, fol. 19; ann. I, n° 74.)

« .. *archidiacono Brie in ecclesia Parisiensi.* Intelleximus quod nonnulli clerici et laici regni Francie olim, vivente adhuc clare memorie L. rege Francorum, vivifice crucis signum in Terre Sancte subsidium assumpserunt. Qui licet postmodum hujusmodi sua vota redemerint, tamen de hujusmodi redemptionibus plenarie satisfacere non curarunt, propter quod latam generaliter inter tales auctoritate apostolica excommunicationis sententiam incurrerunt, quampluribus ex eisdem clericis sic ligatis nichilominus immiscentibus temere se divinis. Nos itaque subventionem Terre predicte non diminui sed augeri potius intendentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus omnes tales, quod de redemptionibus supradictis plenariam tibi, ejusdem Terre nomine, satisfactionem impendant auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, ac eos post satisfactionem hujusmodi ab eis prestitam a predicta sententia juxta formam ecclesie absolvere non omittas, cum clericis ipsis, qui eadem innodati sententia se divinis immiscere officiis presumpserunt, super irregularitate, quam exinde contraxisse noscuntur, nichilominus dispensando, injuncto eis quod de jure fuerit injungendum. Quod autem in hac parte receperis, apud Templum Parisius nomine Terre memorate deponas, quid et quantum id fuerit, nobis per tuas litteras fideliter intimando. Dat. apud Urbemveterem, VIII kal. novembris, anno primo. »

75 Orvieto, 7 octobre 1281.

Archidiacono Briae in ecclesia Parisiensi et magistro Odoni de Nealfa canonico Remensi mandat quatinus residuum pecuniae monasteriis et locis ordinis Praemonstratensis ad subsidium Terrae Sanctae impositae, nondum integre solutae, colligant, et praeterea collectores dictae decimae auctoritate apostolica sibi reddere rationem plenariam compellant. — (Reg. 41, fol. 19; ann. I, n° 75.)

« *Dilectis filiis .. archidiacono Brie in ecclesia Parisiensi et magistro Oddoni de Nealfa, canonico Remensi.* Cum, sicut accepimus, decima Terre Sancte deputata subsidio monasteriis et locis ordinis Premonstratensis imposita, nondum ab eis sit integre persoluta, nos predictum subsidium non diminui sed augeri potius affectantes ac de

vestre circumspectionis industria gerentes in Domino fidutiam pleniorem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus ad colligendum decime predicte residuum auctoritate nostra procedere studeatis. Contradictores, etc. usque compescendo. Ceterum ipsius decime collectores olim a nobis, tunc in minori officio constitutis, et in regno Francie officio legationis fungentibus deputatos ad reddendum vobis de hiis que de decima collegerunt eadem plenariam rationem, si nondum eam forsitan reddiderunt, auctoritate nostra cogatis : non obstante si aliquibus a Sede sit predicta indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem et qualibet alia prefate Sedis indulgentia per quam effectus presentium impediri valeat vel differri et constitutione de duabus dictis edita in concilio generali. Dat. apud Urbemveterem, nonis octobris, anno primo. »

76 Orvieto, 18 octobre 1281.

Abbati sancti Dionysii in Francia, de nonnullis qui in suis ordinant testamentis quod, cum creditoribus eorum satisfactum fuerit, residuum ipsorum bonorum in pios usus non specialiter expressis deputetur, mandat quatinus, postquam defunctorum creditoribus, trino proposito locis competentibus denuntiationis edicto comparentibus, reliquam pecuniam in subsidium Terrae Sanctae deputari et in tuto loco deponi procuret. — (Reg. 41, fol. 19 v°; ann. I, n° 76.)

« .. *abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia Parisiensis diocesis.* Contingit interdum quod Christi fideles regni Frantie in suis ordinant testamentis, ut si post e orum obitum aliquis apparuerit cui dum viverent in aliquo tenerentur ei de bonis illorum ad hoc ab ipsis specialiter deputatis per executores testamentorum hujusmodi satisfiat et si quid de bonis eisdem residuum fuerit in pios usus non expressis personis vel locis aliquibus convertatur. Nos igitur ad promotionem negotii Terre Sancte sollicitis studiis intendentes ac propter hoc vias exquirentes et modos, quibus promotio eadem possit actore Deo celeriter provenire, discretioni tue de qua fiduciam gerimus in Domino specialem per apostolica scripta mandamus quatinus proposito in locis competentibus et diebus sollempnibus trino publice denuntiationis edicto et satisfacto de bonis predictis creditoribus testatorum ipsorum, si quos infra annum a die denuntiationis hujusmodi inchoandum contigerit apparere, residuum bonorum ipsorum a prefatis executoribus auctoritate nostra per te vel alium seu alios exigere ac illud ad opus et com[m]odum dicte Terre in aliquo tuto loco deponas, decernens executores predictos de hiis que tibi vel eis quibus hujusmodi negotium duxeris committendum exhibere curaverint in hac parte ad faciendum restitutionem aliam non teneri. Contradictores etc. usque compescendo. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Sedis ejusdem que plenam et expressam non fecerint de indulto hujusmodi mentionem. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. novembris, anno primo. »

77 Orvieto, 21 octobre 1281.

Archiepiscopis et episcopis per regnum Franciae constitutis notum facit quod inquisitoribus haereticae pravitatis ibidem constitutis dat in mandatis ut in illos quos de eadem pravitate culpabiles vel notabiliter suspectos esse ipsis constiterit, accusatos etiam de labe praedicta, conversos quoque Judaeos et postmodum apostantes a fide, libere officium suum exequantur ac si supradicti ad ecclesias minime confugissent, mandat ergo supradictis quatinus in hujusmodi officio eosdem inquisitores non impediant. — (Reg. 41, fol. 19 v°; ann. I, n° 77; — Potthast n° 21806.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis.* Ex parte dilectorum —. Dat. apud Urbemveterem, XII kal. novembris, anno primo. »

78 Orvieto, 21 octobre 1281.

Inquisitoribus hereticae pravitatis per regnum Franciae constitutis notum facit se supradictis archiepiscopis et episcopis hujusmodi scripsisse litteras. — (Reg. 41, fol. 20; ann. I, n° 78.)

« *Inquisitoribus heretice pravitatis per regnum Francie constitutis.* Ex parte vestra —. Dat. ut supra. »

79 Orvieto, 7 octobre 1281.

Archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Franciae constitutis mandat quatinus Christi fidelibus praedicationibus suadere studeant ut in testamentis eorum aliqua de bonis propriis subventioni Terrae Sanctae relinquant, et nihilominus suis subditis per speciales litteras injungant ut, cum testamentis interfuerint, id ipsum testatoribus suadere procurent. — (Reg. 41, fol. 20; ann. I, n° 79; — Potthast n° 21796.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis ac di-*

lectis filiis electis, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Francie constitutis. Diuturne calamitatis acerbitas —. Dat. apud Urbemveterem, nonis octobris, anno primo. »

80 Orvieto, 17 octobre 1281.

Johanni de Perrellis dicto de Pruvino, clerico in minoribus ordinibus constituto, Senonensis diocesis, qui per magistrum Nicolaum de Terracina, capellanum Papae, archidiaconum Lexoviensem, examinatorem super hoc deputatum, examinatum fuit et repertus idoneus, tabellionatus officium concedit. — (Reg. 41, fol. 20; ann. I, nº 80.)

« *Johanni de Perrolis, dicto de Pruvino, clerico in minoribus ordinibus constituto, Senonensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. apud Urbemveterem, XVI kal. novembris, anno primo. »

Orvieto, 23 octobre 1281.

In e. mo. Johanni, nato quondam Everhardi dicti Harde, clerico Bremensi in minoribus ordinibus constituto. — Dat. apud Urbemveterem, X kal. novembris, anno primo.

Orvieto, 17 octobre 1281.

In e. mo. Nicolao de Piperno, clerico Terracinensis diocesis in minoribus ordinibus constituto. — Dat. apud Urbemveterem, XVI kal. novembris, anno primo.

81 Orvieto, 15 octobre 1281.

Archiepiscopo Rothomagensi mandat quatinus, cum Gregorius papa Philippo regi Francorum, propter grandes expensas pro defensione Terrae Sanctae a dicto rege factas, medietatem totalis decimae quae percepta foret in terris quibuslibet ratione primi anni ejus temporis per quod juxta concilium Lugdunense praedicta decima concessa extitit, obligavisset, ac eidem regi non fuisset plenarie satisfactum, ea quae de illius medietatis residuo mercatores de societate Thomae Spillati et Hugonis Spinae de Florentia assignaverint recipiat, ac de his praefato regi satisfactionem impendat. — (Reg. 41, fol. 20 vº; ann. I, nº 81.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Rothomagensi.* Felicis recordationis Johannes papa predecessor noster, intellecto quod carissimus in Christo filius noster, Philippus, rex Francorum illustris, olim ad requisitionem pie memorie Gregorii pape predecessoris nostri, pro defensione et custodia illius particule que de Terra Sancta Christianis remansisse dinoscitur, grandes expensas fecerat et ad ipsius Terre subsidium adjutricem manum in antea porrigere intendebat, quodque dictus predecessor Gregorius ipsi regi, pro hujusmodi factis et etiam fatiendis expensis ab eo medietatem omnium que de totali decima tunc percepta seu percipienda in regnis et terris quibuslibet, ratione primi anni ejus temporis per quod, juxta ordinationem concilii Lugdunensis, ipsius Terre subsidio predicta decima concessa extitit, collecta forent seu etiam colligenda spetialiter obligarat, et quod eidem regi de prefatis expensis ab ipso tunc factis non fuerat plenarie satisfactum, super intendentibus seu collectoribus decime Terre Sancte predicte per suas litteras speciales injunxit, ut medietatem eandem certis Florentinorum, Senensium, Lucanorum et Pistoriensium civium et mercatorum societatibus assignarent, preordinato cum mercatoribus societatum ipsarum ut quod eis per super intendentes et collectores assignari contingeret, nobis tunc in minori officio constitutis et in regno Francie officio legationis fungentibus integraliter assignare curarent; per alias nobis injuncto litteras ut prefato regi de hujusmodi expensis quas nobis ab ipso, juxta tenorem apostolice ordinationis super hoc edite, factas esse constaret de medietatis predicte proventibus quos a mercatoribus reciperemus, eisdem satisfactionem debitam impendere curaremus. Unde nos, apostolico mandato recepto, in hujusmodi negotio duximus procedendum; et demum, nobis ad Apostolicam Sedem redeuntibus de partibus gallicanis, felicis recordationis Nicolaus papa predecessor noster, cum adhuc viveret, voluit ut juxta premissam formam procederemus in negotio supradicto. Cum autem diversis et variis agendis arduis que secum trahit executio pontificalis officii occupati super eodem negotio per nos ipsos intendere nequeamus, et de tua probitate multiplici specialiter in Domino confidentes, ordinaverimus cum super intendentibus predicte decime, ut medietatis prefate residuum jam collectum et etiam colligendum mercatoribus de societate Thome Spillati et Hugonis Spine de Florentia, assignare procurent illud per mercatores ipsos tibi postmodum integre assignandum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus pro nostra et apostolice Sedis reverentia hujusmodi assumens negotium, ea que tibi prefati mercatores assignare curaverint in hac parte recipias, et de hiis prefato regi de expensis quas ipsum post hujusmodi recessum nostrum de partibus prelibatis pro defensione et custodia Terre Sancte fecisse tibi constiterit, quasque de cetero usque ad passagium generale faciet pro eisdem de tuo consilio et assensu debitam satisfactionem impendas, nobis quid et quantum a mercatoribus ipsis receperis, et quantitatem etiam quam dicto regi duxeris pro satisfactione hujus-

modi exhibenda plenius rescripturus; quod autem post satisfactionem eandem de assignatis tibi a mercatoribus memoratis residuum fuerit, illud studiose conserves in predicte Terre commodo prout ante fuerat convertendum. Dat. apud Urbemveterem, idibus octobris, anno primo. »

82 Orvieto, 17 octobre 1281.

Jacobo de Metellanico, civi Anagnino qui per magistrum Nicolaum de Terracina capellanum papae, archidiaconum Lexoviensem, examinatorem super hoc deputatum, fuit repertus idoneus, tabellionatus officium concedit. — (Reg. 41, fol. 21; ann. I, nº 82.)

« *Dilecto filio Jacobo magistri Johannis de Metellanico civi Anagnino.* Ne contractuum memoria —. Dat. apud Urbemveterem XVI kal. novembris anno primo. »

83 Orvieto, 15 octobre 1281.

Archiepiscopo Upsalensi mandat quatinus, ab Acero Wexionensi episcopo suffraganeo suo libera regiminis ejusdem ecclesiae cessione recepta, praedictae ecclesiae faciat pastorem idoneum eligi. — (Reg. 41, fol. 21; ann. I, nº 83.)

« .. *archiepiscopo Upsalensi.* Ex parte venerabilis fratris nostri Aceri Wexionensis episcopi suffraganei tui, fuit propositum coram nobis quod cum ipse in retinendo Wexionensem ecclesiam ex eo conscientiam habeat remordentem, quod a clero sue civitatis et diocesis visitationis officio non impenso, procurationes recepit interdum contra canonicas sanctiones, quodque post susceptionem pontificalis officii incontinentie vitium non vitavit, quod coram te in judicio dicitur fuisse confessus, et propter hoc ac etiam ob frequentes sui egritudines corporis quibus redditur sic afflictus quod impotens noscitur ad exequendum curam regiminis pastoralis, sui episcopatus oneri est, ut asseritur, renuntiare paratus; quare pro parte ipsius episcopi fuit nobis humiliter supplicatum ut hujusmodi cessionem ipsius recipere curaremus. Nos itaque, benignius attendentes ejusdem episcopi saluti consulere ac ipsius ecclesie statui salubriter providere, fraternitati tue de qua plenam in Domino fiduciam gerimus per apostolica scripta mandamus quatinus a prefato episcopo libera regiminis ejusdem ecclesie cessione vice et auctoritate nostra recepta, facias predicte ecclesie per electionem canonicam de pastore ydoneo provideri, prout secundum Deum ipsi ecclesie videris expedire, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. apud Urbemveterem, idibus octobris, anno primo. »

84 Orvieto, 23 décembre 1281.

Archiepiscopo Rothomagensi et Autisiodorensi ac Spoletano episcopis mandat quatinus ad monasterium Sancti Dyonisii in Francia, ubi ossa Ludovici regis Franciae requiescunt et ubi Dominus pro ipso Ludovico miracula specialius operatus fuisse proponitur, aut ad alia loca de quibus expedire putabunt se personaliter conferentes, de miraculis, vita et conversatione ipsius Ludovici inquirant, ea quae super his invenient ad Sedem Apostolicam transmissuri. — (Reg. 41, fol. 21; ann. I, nº 84; Potthast nº 21823.)

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Rothomagensi et .. Autisiodorensi ac .. Spoletano episcopis.* Intellecto dudum felicis recordationis Gregorius papa predecessor noster, quod omnipotens Dominus, qui facit mirabilia magna, solus grandia et aperta miracula pro clare memorie Ludovico rege Francie faciebat, voluit presupponens vite ipsius Ludovici notam sibi existere sanctitatem, ut de hujusmodi miraculis per cujusdam secrete indagationis modum nos tunc in minori officio constituti et legationis fungentes officio in partibus Gallicanis nostrum informaremus animum, sibi postmodum informationem hujusmodi transmissuri. Quare nos de predictis miraculis indagantes ac de ipsis plenius informati, prefato predecessori nostram super hoc informationem duximus destinandam, que ad ipsum, cum fuisset morte preventus, non potuit pervenire. Succedente autem pie memorie Innocentio papa predecessore nostro Gregorio prelibato, nos eidem Innocentio predictam informationem curavimus intimare. Quo, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, hujusmodi processus negotii extitit retardatus. Pie quoque memorie Johanni pape predecessori nostro informationem direximus sepedictam, qui prius quam super hoc aliquid ordinaret, diem clausit extremum. Cumque postmodum felicis recordationis Nicolao pape predecessori nostro informationem misissemus eandem, et carissimus in Christo filius noster Phylippus, rex Francorum illustris, ab ipso Nicolao predecessore sollempnibus propter hoc ad eum nuntiis destinatis, cum instantia postulasset ut faceret ad miraculorum et meritorum ipsius Ludovici regis publicam inquisitionem procedi, prefatus Nicolaus predecessor, scire volens super hoc plenius veritatem, nobis adhuc in partibus existentibus supradictis, per suas sub certa forma dedit litteras in mandatis, ut quicquid de premissis et circumstantiis eorundem, ac aliis que pro jam

dicto Ludovico rege virtutum Dominus miraculose fuerat operatus, nos in plena contingeret percipere veritate clare ac distincte per omnia, ei seriosius scribere curaremus, ut, relationibus nostris evidenter ac seriose perceptis, lucidius appareret quid in hiis providendum existeret ac imposterum respondendum. Unde nos, hujusmodi receptis litteris, diligenter processimus super hiis, et que invenimus eidem Nicolao predecessori plenius et apertius duximus intimanda. Qui hujusmodi processu nostro recepto, illum venerabili fratri G. episcopo Sabinensi, tunc Duodecim Apostolorum presbitero, et dilecto filio nostro J. Sancti Eustachii diacono cardinalibus discutiendum commisit. Sed eodem Nicolao predecessore nature debitum persolvente, ulterius processum non extitit in negotio supradicto. Porro venerabiles fratres nostri S. Carnotensis et G. Ambianensis episcopi, nuper ad nostram presentiam accedentes ex venerabilium fratrum nostrorum .. Remensis, .. Senonensis et .. Turonensis archiepiscoporum, ac quam plurimum suffraganeorum suorum et etiam aliorum quorundam regni Francie prelatorum parte, nobis humiliter supplicarunt, ut prefatum Ludovicum regem, quem, prout eorundem archiepiscoporum, suffraganeorum et prelatorum misse nobis littere continebant, jam inter celestis aule principes collocatum pro ipso facta miracula profitentur, sanctorum ascribi catalogo mandaremus. Nos autem, etsi geramus specialiter cordi negotium ac ejus votivum et celerem exitum propensius cupiamus, attendentes tamen quod quanto sollempnius quantoque maturius et sollicitius in hac parte proceditur, tanto id proculdubio ad ipsius Ludovici regis accedet laudis cumulum potioris ac de vestra multiplici probitate in multis et arduis probata multotiens specialem in Domino fidutiam obtinentes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus ad monasterium Sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis, ubi ossa ejusdem Ludovici regis requiescere dinoscuntur, et ubi Dominus pro ipso miracula specialius fuisse proponitur operatus, aut alium seu alia loca de quibus expedire putabitis, vos personaliter conferentes, de jamdictis et aliis quibuscumque etiam novis miraculis ac vita et conversatione ipsius Ludovici regis secundum articulos, quos vobis sub bulla nostra transmittimus interclusos, cum omni diligentia et sollicitudine inquiratis, ea que super hiis inveniri contigerit in scriptis redacta fideliter ad Sedem Apostolicam sub sigillis vestris inclusa quantotius transmissuri. Si vero testes aliqui recipiendi super premissis occurrerint, qui propter loci distantiam vel infirmitatis impedimentum vos co[m]mode adire nequiverint, vel vos accedere absque inco[m]modo non poteritis ad eosdem, committendi discretis aliquibus in casu hujusmodi vices vestras presentium vobis auctoritate concedimus potestatem. Per commissionem autem inquisitionis hujusmodi vobis factam nequaquam intendimus hiis que auctoritate predictarum litterarum ipsius Nicolai predecessoris per nos super hujusmodi negotio acta sunt in aliquo derogare, quin immo illa rata esse volumus atque firma. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis vel volueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. apud Urbemveterem, X kal. januarii, anno primo. »

85 Orvieto, 23 décembre 1281.

Archiepiscopos Remensem, Rothomagensem, Senonensem et Turonensem, ac episcopos Belvacensem, Lingonensem, Cathalaunensem, Laudunensem, Noviomensem, Silvanectensem, Ebroicensem, Parisiensem, Trecensem et Meldensem, qui per S. Carnotensem et G. Ambianensem episcopos a papa petierant ut Ludovicum quondam regem Francorum catalogo sanctorum ascribi mandaret, hortatur quatinus, de hujusmodi negotio inquisitione Rothomagensi archiepiscopo et Autisiodorensi ac Spoletano episcopis a Sede Apostolica commissa, ipsius Sedis processus licet ad tempus effectum supradicti negotii differre videatur, molestus eis non accedat. — (Reg. 41, fol. 21 vº; ann. I, nº 85, — Potthast, nº 21822.)

« *Venerabilibus fratribus .. Remensi, .. Rothomagensi, .. Senonensi et .. Turonensi archiepiscopis, ac .. Belvacensi .. Lingonensi, .. Cathalaunensi, .. Laudunensi, .. Noviomensi, .. Silvanectensi, .. Ebroicensi, .. Parisiensi, .. Trecensi et .. Meldensi episcopis.* Cordi vobis esse perpendimus pium clare memorie Ludovici Francorum regis negotium, vestris patentibus litteris nobis per venerabiles fratres nostros S. Carnotensem et G. Ambianensem episcopos, quos nuper ad Apostolicam Sedem pro ejusdem promotione negotii destinastis, exhibitis, diligentius intellectis; re vera tam pie sollicitudinis studium, quod vobis de hujusmodi promovendo negotio indidistis, et zelum dignissime caritatis, qua super hoc mens vestra fervere dinoscitur, plenis in Domino laudibus commendamus. Porro in nostra constituti presentia episcopi memorati, nobis ex parte vestra, inter cetera que illorum discretio circumspecta proposuit, cum instantia supplicarunt ut, cum omnipotens Dominus jam multis magnisque miraculis predictum Ludovicum regem celestibus associatum principibus revelarit, eundem Ludovicum tanquam emeritum sanctorum ascribi cathalogo mandaremus. Nos autem, gerentes cordi negotium et ejus promotionem felicem et celerem cupientes, predictos episcopos benigne audivimus, et que proponere voluerunt intelleximus diligenter. Sane vestram nolumus latere

notitiam, quod etsi Sedis Apostolice providentia circumspecta in agendis quibuslibet que mundi qualitas ingerit diligenter, sollicite ac mature procedat, cum ab ipsa, utpote universorum magistra fidelium, nil reprehensibile, nil ambiguum, nil obscurum, sed cuncta potius recta, certa et lucida debeant emanare, in hujusmodi tamen negotiis, in quibus de canonizationibus agitur, aliquorum exactissimam deliberationem, summam gravitatem ac maturitatem omnimodam noscitur observare. Unde nos hujusmodi laudabilem observantiam prosequentes, ac studiis attendentes sollicitis, quod quanto sollempnius, quanto gravius, quantoque maturius et curiosius in hac parte proceditur, tanto id procul dubio ad ipsius Ludovici regis laudis cumulum potioris, ac etiam carissimi in Christo filii nostri Phylippi, regis Francorum illustris, et domus regnique suorum honoris et exaltationis accedit augmentum, tibi, frater archiepiscope Rothomagensis, et venerabilibus fratribus nostris .. Autisiodorensi ac .. Spoletano episcopis inquisitionem super vita, conversatione ac miraculis prefati Ludovici regis sollempniter faciendam, per nostras committimus litteras speciales, sicut in eis plenius continetur. Non intendentes hiis, que auctoritate litterarum felicis recordationis Nicolai pape predecessoris nostri per nos super eodem sunt acta negotio, per inquisitionem hujusmodi in aliquo derogare, quin immo illa rata esse voluimus atque firma, fraternitatem itaque vestram rogandam attente duximus et hortandam, quatinus hujusmodi Apostolice Sedis processus, licet ad tempus effectum differre negotii videatur, vestris molestus aut gravis affectibus non accedat : nam actore illo qui potest omnia, sicut speramus et credimus, cooperabuntur ad bonum, et exinde id ad quod tam vestra quam nostra super hoc tendit intentio facilius et efficatius producetur ad Dei dictique Ludovici regis laudis et glorie, ac prefati Phylippi regis et domus regnique suorum honoris multiplicis incrementum. Dat. ut supra. »

86 Orvieto, 13 novembre 1281.

Guardiano fratrum ordinis Minorum Cameracensium mandat quatinus ab excommunicationis sententia in Montem dictum Lupum Parmensis et Sancti Gaugerici Cameracensis ecclesiae canonicum, pro eo quod decimam subsidio Terrae Sanctae deputatam statutis terminis non persolverit, lata, cum ipse de predicta pecunia magistris Raynaldo de Castronovo et Uberto de Placentia capellanis domini Papae tredecim libras imperialium postea solverit, dictum Montem absolvi procuret. — (Reg. 41, fol. 22; ann. I, n° 86; — Potthast, n° 21813.)

« *Guardiano fratrum ordinis Minorum Cameracensium.* Ex parte dilecti —. Dat. apud Urbemveterem, idibus novembris, anno primo. »

87 Orvieto, 29 novembre 1281.

P., episcopo Reatino, officium tabellionatus duabus personis ydoneis conferendi, qui ipsum in collectione decimae subsidio Terrae Sanctae deputatae in regno Siciliae citra Calabriam adjuvent, facultatem concedit. — (Reg. 41, fol. 22 v°; ann. I, n° 87.)

« *Venerabili fratri P. episcopo Reatino.* Cum tibi negotium —. Dat. apud Urbemveterem, III° kal. decembris, anno primo. »

88 Orvieto, 17 novembre 1281.

Johanni de Sancto Verano cantori ecclesiae Aurelianensis, prioratum ecclesiae saecularis Sancti Ursini Bituricensis libere recipiendi ac ipsum una cum cantoria Aurelianensis ecclesiae licite retinendi concedit facultatem. — (Reg. 41, fol. 22 v°; ann. I, n° 88.)

« *Johanni de Sancto Verano, cantori ecclesie Aurelianensis.* Apostolice sedis benignitas —. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. decembris, anno primo. »

89 Orvieto, 22 novembre 1281.

Magno, regi Sweorum indulget quod aliquem ydoneum presbiterum religiosum vel saecularem confessorem sibi eligere possit, et quod idem in alia opera pietatis vota Jerosolimitana et continentiae per dictum regem emissa commutare valeat. — (Reg. 41, fol. 22 v°; ann. I, n° 89; Potthast, n° 21816.)

« *Carissimo in Christo filio Magno regi Sweorum illustri.* Quanto personam tuam —. Dat. apud Urbemveterem, X kal. decembris, anno primo. »

90 Orvieto, 9 décembre 1281.

Episcopo Neucastrensi et custodi Fratrum Minorum de Cusentia mandat quatinus de electione Marci canonici post mortem Francisci episcopi sancti Marci facta, de qua examinanda jam a Nicolao quondam papa episcopus Albanensis et A. tituli Sanctae Praxedis presbyter cardinales deputati fuerunt, juxta eorumdem cardinalium interrogatoria sibi transmissa diligenter inquirat. — (Reg. 41, fol. 22 v°; ann. I, n° 90; — Potthast n° 21819.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Neucastrensi et dilecto*

filio .. custodi ordinis fratrum Minorum de Cusentia. Dudum ecclesia sancti Marci —. Dat. apud Urbemveterem, V idus decembris, anno primo. »

91 Orvieto, 18 décembre 1281.

Ranulpho archiepiscopo Nicosiensi quod de bonis suis libere disponere possit, indulget. — (Reg. 41, fol. 23 rº; ann. I, nº 91.)

« *Ranulpho archiepiscopo Nicosiensi.* Quia presentis vite —. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. januarii, anno primo. »

92 Orvieto, 23 décembre 1281.

Cum in ecclesia Signina, post mortem Johannis ipsius ecclesiae episcopi, duae postulationes factae fuissent et, Nicolao quondam papa hoc negotium prosequente partes minime comparuissent, provisione dictae ecclesiae Sedi Apostolico reservata, eidem Lacedemonensem episcopum transfert et praeficit. — (Reg. 41, fol. 23 rº; ann. I, nº 92.)

« *Venerabili fratri episcopo Signino.* Romani pontificis quem —. Dat. apud Urbemveterem, X kal. januarii, anno primo. »

In e. mo. dilectis filiis capitulo ecclesiae Signinae. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Signinae. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Signinae. — Dat. ut supra.

93 Orvieto, 23 décembre 1281.

Cum in monasterio sancti Stephani Monopolitano regimine abbatis destituto, Leo ejusdem monasterii monachus in abbatem electus fuisset, cujus electionis examinationem Nicolaus quondam papa .. Tusculano et G. tunc basilicae XII Apostolorum presbytero cardinali, nunc Sabinensi, episcopis commisisset, libera resignatione pendente hujusmodi negotio a dicto Leone facta, eidem monasterio Rostagnum, tunc abbatem monasterii Neapolitani Sanctae Mariae de Capellis extra muros, ordinis Sancti Benedicti, in abbatem praeficit. — (Reg. 41, fol. 23 vº; ann. I, nº 93.)

« *Rostagno abbati monasterii sancti Stephani Monopolitano, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti.* Sponso electi —. Dat. apud Urbemveterem, X kal. januarii, anno primo. »

In e. mo. decano et conventui monasterii Sancti Stephani Monopolitani, quatinus eidem debitam obedientiam et reverentiam impendant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassalibus monasterii Sancti Stephani ut eidem de hiis in quibus tenentur respondere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. .. episcopo Hortensi quatinus ejusdem debite fidelitatis juramentum recipiat. — Dat. ut supra.

94 Orvieto, 23 janvier 1282.

Guillelmum, canonicum Sancti Victoris Parisiensis, recepta cessione ab Arnulpho canonico olim abbate monasterii Sancte Genovefae Parisiensis facta, eidem monasterio in abbatem praeficit. — (Reg. 41, fol. 24 vº; ann. I, nº 94.)

« *Fratri Guillelmo abbati monasterii sancte Genovefe Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini.* Circa curam quarumlibet —. Dat. X kal. februarii, anno primo. »

In e. mo. priori et conventui monasterii Sanctae Genovefae, quatinus eidem obedientiam et reverentiam debitam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassalis dicti monasterii quatinus eidem fidelitatem solitam et servitia consueta exhibere studeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. regi Franciae quatinus eundem favore regio prosequatur. — Dat. ut supra.

95 Orvieto, 11 janvier 1281.

Abbatem Cluniacensem rogat ut Petro de Sancto Habundo abbati Pulteriarum, in ordine Cluniacensi nutrito, prioratum Sanctae Margaretae de Helincuria, Belvacensis diocesis, quem a dicto abbate et monasterio accepit, retinere desideranti, quantum honeste potuerit, satisfaciat. — (Reg. 41, fol. 24 vº; ann. I, nº 95.)

« *Abbati Cluniacensi Matisconensis diocesis.* Sicut in dilecto —. Dat. apud Urbemveterem, III idus januarii, anno primo. »

96 Orvieto, 20 janvier 1281.

Cum in Arelatensi ecclesia per translationem B. archiepiscopi ad Portuensem ecclesiam vacante, petita prius per B. prepositum et R. precentorem a Sede Apostolica licentia, magister Bernardus, canonicus Agathensis in episcopum electus fuisset sed dictus Bernardus omni juri sibi ex hujusmodi electione competenti renuntiasset, eidem Arelatensi ecclesiae Bertmondum, tunc capellanum suum et canonicum Remensem, praeficit in archiepiscopum. — (Reg. 41, fol. 25 rº; ann. I, nº 95.)

« *Bertmondo archiepiscopo Arelatensi.* Exemplo condi-

toris —. Dat. apud Urbemveterem, XIII kal. februarii, anno primo. »

In e. mo. B. preposito et capitulo Arelatensi quatinus eidem archiepiscopo debitam reverentiam et obedientiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Arelatensis. — Dat. ut supra.

In e. mo. vassallis ecclesiae Arelatensis quatinus de juribus eidem debitis respondere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Arelatensis, quatinus ejusdem mandatis intendant. — Dat. ut supra.

In e. mo. nobili viro C. principi Salernitano primogenito C. illustris Siciliae regis, quatinus dictum archiepiscopum ecclesiamque ipsius commendatos habeat. — Dat. ut supra.

97 Orvieto, 25 janvier 1282.

Vivianum, tunc Aretinum archidiaconum, electionibus sive postulationibus in ecclesia Faventina post obitum Thederici episcopi in discordia factis, partibusque coram papa minime comparentibus, eidem ecclesiae praeficit in episcopum. — (Reg. 41, fol. 25 v°; ann. I, n° 97.)

« *Viviano electo Faventino.* In suppreme dignitatis —. Dat. apud Urbemveterem, VIII kal. februarii, anno primo. »

In e. mo. capitulo Faventino. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Faventinae. — Dat. ut supra.

98 Orvieto, 18 janvier 1282.

Episcopo Tornacensi mandat quatinus universos redditus et proventus abbatis et conventus monasterii sancti Petri Gandensis, Tornacensis diocesis, colligat, assignataque eisdem abbati et monachis sustentatione congrua, hujusmodi pecuniae residuum in solutionem debitorum ejusdem monasterii convertat, dictosque abbatem et conventum ab excommunicationis sententiis contra ipsos causa usurae prolatis relaxare procuret. — (Reg. 41, fol. 26 r°; ann. I, n° 98.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Tornacensi.* Significaverunt nobis .. abbas —. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. februarii. »

99 Orvieto, 21 janvier 1282.

Gerardo monacho quondam abbati monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis, provisionem a se, tunc in minoribus officiis constituto, factam de bonis quibusdam ejusdem monasterii a dicto Gerardo post resignationem ipsius quoad vixerit, possidendis ratam habet et confirmat. — (Reg. 41, fol. 26 v°; ann. I, n° 99.)

« *Gerardo monacho quondam abbati monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti.* In executione regiminis monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, sic virtus domini tibi astitisse dinoscitur ut apud nos et quamplures seu multos alios fama tua clara et laudabilis habeatur. Olim siquidem inter te et nonnullos monachos predicti monasterii communiter ex parte una, et Universitatem magistrorum ac scolarium Parisiensem ex altera occasione quorumdam fundamentorum latitudinis amplioris que tu, dum adhuc esses abbas monasterii memorati, ejusque monachi non longe a septis ipsius in via seu secus viam qua itur ad prata scolarium parisiensium, mandavistis et fecistis construi, viam ipsam plus solito coartando, gravis et dispendiose nimis discensionis materia suscitata, et enormibus ac periculosis et detestandis exinde subsecutis excessibus in quorumdam de Universitate predicta personas ausu dampnabili perpetratis, nos tunc in minori officio constituti et in illis partibus legationis fungentes officio, cum ex parte ipsius Universitatis ac alias etiam publicus super hiis clamor validus ad nostram audientiam pervenisset ad inquirendum de supradictis excessibus excluendo nostri partes officii duximus procedendum. Hujusmodi quidem nostro pendente processu tu, contemptis com[m]odis propriis et honoris postposito tui statu pro bono pacis et ejusdem tranquillitate monasterii ac etiam Universitatis reverentia supradicte sponte in nostris manibus abbatie ipsius monasterii cedere curavisti. Nosque hujusmodi tuam cessionem duximus admittendam ac tandem tuam tam humilem et spontaneam cessionem tueque devotionis affectum quam erga Romanam gessisti ecclesiam benigne considerationis indagine metientes, pensantes quoque quod tu laudabiliter dicto monasterio prefuisti bona ejus temporalia multipliciter augmentando, et propter hoc dignum extimantes et consonum rationi ut tibi de premissis bonis decentis et honorabilis provisionis gratia confereretur tibi pro persona tua tuaque familia competenti de voluntate communi consensu unanimi ac instantibus precibus totius conventus monasterii prelibati singulariter expressis ab omnibus de ipso conventu a nobis propter hoc specialiter convocato in nostra presentia tunc in eodem monasterio constitutis premissorum bonorum nichilominus sufficientia diligenter inscripta de Brolii Pareti et Guranville villis ejusdem monasterii

cum domibus, grangiis juribus et pertinentiis suis, septuaginta et tribus libris parisiensium quas idem conventus in ipsa villa de Guranvilla percipit annuatim exceptis, necnon de quadam domo de Yssiaco ad dictum monasterium pertinente cum omnibus que infra clausuram ipsius domus consistunt ac de quibusdam redditibus centum librarum parisiensium que ab hominibus ville de Antogniaco, Parisiensis diocesis, ex certa causa annis singulis dicto monasterio solvebantur auctoritate legationis nostre providimus a te quoad vixeris possidendis. Universis ergo et singulis de predicto conventu super hoc specialiter requisitis ac provisionem hujusmodi ratam habentibus et acceptam, nos nichilominus irritum decrevimus et inane si secus de villis et aliis supradictis vel aliquo seu aliquibus eorumdem contra prefatam provisionem nostram contingeret attemptari prout in patentibus litteris nostris confectis exinde ac sigillo quo utebamur tempore legationis premisse signatis plenius continetur. Ad hec dilectis filiis .. Carnotensi et .. Meledunensi in ecclesia Senonensi archidiaconis per alias nostras litteras auctoritate predicta mandavimus ut ipsi vel alter eorum te vel procuratorem tuum tuo nomine in corporalem possessionem villarum, domorum, grangiarum, jurium, pertinentiarum et aliorum premissorum inducerent et tuerentur inductum, facientes tibi vel dicto procuratori pro te de villarum domorum, grangiarum et aliorum predictorum fructibus, redditibus, juribus, proventibus et obventionibus universis integre responderi, contradictores per censuram ecclesiam compescendo. Verumque a processu temporis dum adhuc premisse legationis officio fungeremur, intelleximus quod, postquam tu in premissorum possessionem hujusmodi mandati nostri auctoritate inductus fuisti, nonnulli de conventu predicto se hujusmodi provisioni nostre, cui prius consenserant, opponebant pro sue libito voluntatis. Nos volentes et talium temeritatem compescere ac provisionem eandem robur obtinere perpetue firmitatis in contradictores et rebelles excommunicationis sententiam promulgavimus, dictisque archidiaconis per alias adhuc nostras litteras auctoritate premissa dedimus in mandamentis ut ipsi vel alter eorum eandem excommunicationis sententiam in predicto monasterio sollempniter publicarent; qui super hoc mandamentum nostrum exequi studuerunt quare humiliter petebas a nobis ut, cum post hec omnia ex dispensatione divina culmen ascenderimus apostolice dignitatis et in plenitudinem simus potestatis assumpti, oportunum firmumque robur provisioni predicte adicere dignaremur. Cum itaque premissa omnia memorie habeamus nec illud oblivioni commiserimus quod tu sicut premittitur sepedictum monasterium dum abbas ejus existeres augmentasti laudabiliter in premissis, quodque pro bono dumtaxat pacis et concordie ac reverentia Universitatis ejusdem sponte cessisti predicte regimini abbatie te ad hoc quodammodo ingerendo, nos digne tuis devotis inclinati precibus provisionem eandem et quicquid nos ipsi duntaxat circa eam tempore dicte legationis nostre fecimus et in premissis nostris litteris continetur, non obstantibus quibuscumque appellationibus ab eadem provisione ad sedem apostolicam interjectis et omnibus aliis propositionibus ac allegationibus per procuratorem .. abbatis dicti monasterii coram nobis factis seu quibusvis contrariis constitutionibus, statutis seu consuetudinibus juramento, confirmatione apostolica seu quacumque firmitate vallatis, auctoritate apostolica ex certa scientia de nostre potestatis plenitudine approbavimus, rata et firma habemus et haberi volumus et etiam confirmamus ac presentis scripti patrocinio communimus; decernentes nichilominus irritum et inane si secus super premissis vel aliquo premissorum fuerit attemptatum. Tenores autem tam dictarum nostrarum quam ipsius conventus consensum super hoc exhibitum continentium litterarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari qui tales sunt :

Saint-Germain-des-Prés, 10 septembre 1278.

Symon miseratione divina tituli sancte Cecilie presbyter cardinalis apostolice sedis legatus religioso viro fratri Gerardo quondam abbati monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis, ordinis sancti Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem in Domino. Olim inter vos et nonnullos alios monachos monasterii sancti Germani de Pratis Parisiensis, ordinis sancti Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ex parte una, et Universitatem Parisiensem ex altera occasione quorumdam fundamentorum latitudinis amplioris que vos non longe ab ipsius monasterii septis in via seu secus viam qua itur ad prata scolarium mandavistis et fecistis construi, viam ipsam plus solito coartando, gravis et dispendiose nimis dissentionis materia suscitata et enormibus periculosis et detestandis exinde subsecutis excessibus in quorumdam de Universitate predicta personas ausu dampnabili perpetratis, nos, cum ex parte Universitatis ipsius et alias etiam publicus super hiis clamor validus ad nostram audientiam pervenisset et ad inquirendum super jamdictis excessibus nostri partes exolventes officii duximus procedendum. Et tandem hujusmodi pendente processu vos contemptis com[m]odis propriis et honoris postposito vestri statu pro bono pacis et ejusdem monasterii tranquillitate ac etiam Universitatis reverentia supradicte sponte in

nostris manibus cedere curavistis ; quam siquidem cessionem duximus admittendam prout hec omnia in litteris super ordinatione nostra in hujusmodi negotio edita confectis plenius continetur. Nos itaque vestram tam humilem et spontaneam hujusmodi cessionem vestreque devotionis affectum quem erga Romanam ecclesiam gessisse noscimus benigne considerationis indagine metientes, pensantes etiam quod vos laudabiliter dicto monasterio prefuistis, bona ejus temporalia multipliciter augmentando et propter hoc non indigne dignum extimantes et consonum rationi ut vobis de bonis predictis decentis et honorabilis provisionis gratia conferatur, vobis pro persona nostra vestraque familia competenti de communi voluntate, consensu unanimi ac instantibus precibus totius conventus monasterii prelibati singulariter expressis ab omnibus de ipso conventu a nobis propter hoc specialiter convocato coram nobis tunc in eodem monasterio constitutis, predictorum bonorum sufficientia diligenter inscripta de Brolii, Pareti et Guranville villis predicti monasterii cum domibus, grangiis, juribus et pertinentiis suis, exceptis septuaginta et tribus libris parisiensium quos idem conventus in eadem villa Guranville percipit annuatim, et de domo de Yssiaco ejusdem monasterii que fuit quondam magistri Johannis Barbitonsoris archidiaconi Suessionensis cum omnibus que infra clausuram ipsius domus consistunt, ac etiam de redditibus centum librarum monete predicte seu de ipsis centum libris que ab hominibus ville de Antogniaco memorati monasterii Parisiensis diocesis ratione libertatis a vobis tunc abbate dictoque conventu olim hominibus concesse prefatis annis singulis persolvuntur, a vobis quoad vixeritis possidendis, auctoritate qua fungimur providemus, universis et singulis de conventu predicto super hoc specialiter requisitis, provisionem hujusmodi ratam habentibus et acceptam. Nos enim nichilominus irritum decrevimus et inane si secus de villis et aliis supradictis vel aliquo seu aliquibus eorumdem contra prefatam provisionem nostram contigerit attemptari. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et sigilli nostri appensione muniri. Actum in monasterio supradicto, die dominico XIIII kal. octobris, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, pontificatus domini Nicolai pape III anno primo.

Saint-Germain-des-Prés, 18 septembre 1278.

» Item. — Symon miseratione divina tituli sancte Cecilie presbyter cardinalis apostolice sedis legatus discretis viris .. Carnotensi et .. Meledunensi in ecclesia Senonensi archidiaconis salutem in domino. Olim inter religiosos viros fratrem Gerardum quondam abbatem et nonnullos monachos monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis, ordinis sancti Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ex parte una —; nos enim nichilominus irritum decrevimus et inane si secus de villis et aliis supradictis vel aliquo seu aliquibus eorumdem contra prefatam provisionem nostrum contingerit attemptari. Quo circa discretioni vestre auctoritate premissa mandamus quatinus vos vel alter vestrum eumdem fratrem Gerardum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem villarum, domorum grangiarum, jurium pertinentiarum, et aliorum predictorum inducatis et defendatis inductum, facientes sibi vel dicto procuratori pro ipso de villarum, domorum, grangiarum et aliorum predictorum fructibus, redditibus, juribus, proventibus et obventionibus universis integre responderi, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Actum in monasterio supradicto, die dominico XIIII kal. octobris, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, pontificatus domini Nicolai pape III anno primo.

« Apud Gardum », 21 octobre 1278.

» Item. — Symon etc. — discretis viris .. Carnotensi et Meledunensi in ecclesia Senonensi archidiaconis salutem in divino. Olim inter religiosos — contigerit attemptari sicut in litteris nostris super hujusmodi provisionem confectis plenius continetur. Verum quia sicut intelleximus nonnulli de conventu predicto prefate provisioni nostre pro sue voluntatis libito seu opponunt, nos volentes et talium temeritatem compescere ac provisionem eamdem robur obtinere perpetue firmitatis in contradictores et rebelles excommunicationis sententiam promulgamus. Quocirca discretioni vostre auctoritate premissa mandamus quatinus vos vel alter vestrum sententiam ipsam in predicto monasterio Sancti Germani sollempniter publicetis. Datum apud Gardum, XII kal. novembris, pontificatus domini Nicolai pape III, anno primo.

Saint-Germain-des-Prés, 18 septembre 1278.

» Item. Universis presentes litteras inspecturis frater Symon prior, et conventus monasterii sancti Germani de Pratis Parisiensis, ordinis sancti Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis salutem in domino sempiternam. Olim inter — ratam habentibus et acceptam. Nos itaque quod ab eodem legato in hac parte factum est gratum ratum et acceptum habentes promittimus nos id perpetuis temporibus inviolabiliter servaturos. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus, et sigillorum nostrorum appensione muniri. Actum

in monasterio supradicto, die dominico XIIII kal. octobris, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, pontificatus domini Nicolai pape III anno primo.

» Nulli ergo etc. nostre approbationis confirmationis et constitutionis etc. Si quis autem etc. Datum apud Urbemveterem, XII kal. februarii, anno primo. »

100 Orvieto, 21 janvier 1282.

Episcopo Meldensi, magistro Giloni notario apostolico et archidiacono de Pontivo in ecclesia Ambianensi ac preposito ecclesiae Sancti Audomari Morinensis diocesis, mandat quatinus supradictum Gerardum olim abbatem monasterii Sancti Germani de Pratis occasione hujusmodi provisionis minime molestari permitent. — (Reg. 41, fol. 29 r°; ann. I, n° 100.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Meldensi et dilectis filiis magistro Giloni notario nostro, archidiacono de Pontivo in ecclesia Ambianensi ac .. preposito ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis.* In executione —. Dat. ut supra. »

101 Orvieto, 23 décembre 1281.

Cum in ecclesia Ragusina per obitum quondam Salvii ipsius archiepiscopi vacante, canonici dictae ecclesiae fratrem Marcum de Venetiis, ordinis Minorum, in archiepiscopum elegissent, et, dicto Marco ante hujusmodi electionis confirmationem defuncto, Nicolaus quondam papa de fratre Philippo de Mantua ejusdem ordinis, inquisitore hereticae pravitatis in marcha Tarvisina, ac postea de fratre Luca de Padua ipsius ordinis providisset, sed dictis fratribus minime dictae provisioni assentientibus, de Bonaventuro de Parma providit eumque dictae Ragusinae ecclesiae praeficit in archiepiscopum. — (Reg. 41, fol. 29 r°; ann. I, n° 101.)

« *Dilecto filio Bonaventuro de Parma electo Ragusino.* Militanti ecclesie disponente. — Dat. apud Urbemveterem, X kalendas januarii, anno primo. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Ragusinae quatinus dicto archiepiscopo dictam reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Ragusinae. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis Ragusinae. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis suffraganeis ecclesiae Ragusinae. — Dat. ut supra.

101 *bis* (1) Orvieto, 14 mars 1282.

B., archiepiscopo Ragusino pallium per J. Sanctae Mariae in Cosmedin diaconum cardinalem, a dicto B. fidelitatis solitum juramentum recepturum, mittit. — (Reg. 41, fol. 29 r°; ann. I, n° 101 *bis*.)

« *Venerabili fratri B., archiepiscopo Ragusino.* Cum palleum insigne videlicet pontificalis officii a nobis eum ea qua decet instantia postulasses, nos tuis supplicationibus annuentes ipsum de corpore Beati sumptum tibi per dilectum filium nostrum J. Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem, prestito a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solito juramento, duximus assignandum ut illo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discerpet a signato sed quod geris exterius intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus attentius et hortamur quatinus humilitatem et justitiam, dante Domino qui dat munera et premia elargitur, observare studeas que suum servant et promovent servitorem, Ragusinam ecclesiam sponsam tuam cures sollicite auctore domino spiritualibus incrementis et temporalibus ampliare. Dat. apud Urbemveterem, II idus martii, anno primo. »

102 Orvieto, 13 février 1282.

Cum magister Leodegarius de Bisuntione a patrono ecclesiae de Brayo super Summonam Ambianensis diocesis episcopo presentatus et institutus fuisset, non obstante ipsius ecclesie reservatione a papa Johanne XXI facta, concedit eì ipsam ecclesiam licite retinere. — (Reg. 41, fol. 29 v°; ann. I, n° 102.)

« *Magistro Leodegario de Bisuntione, rectori ecclesie de Brayo super Summonam, Ambianensis diocesis.* Meritis tue devotionis —. Dat. apud Urbemveterem, idus februarii, anno primo. »

103 Orvieto, 23 décembre 1281.

Fratrem Gibaudum de Sancto Verano, tunc temporis monasterii Mosomensis, Remensis diocesis, priorem, cum in monasterio Flavigniacensi, Eduensis diocesis, morte quondam Guillelmi abbatis officio destituto, ab aliquibus prioribus de Herveo, prioratus Beatae Mariae de Sinemuro, ab aliis de Johanne tunc ipsius monasterii prioribus electio facta fuisset, ipsarumque electionum negotio ad Sedem Apostolicam devoluto, A. tituli Sanctae Praxedis presbyter cardinalis hujusmodi auditor deputatus fuisset, dicto Johanne mortuo liberaque resignatione ab Herveo in manibus Papae facta, jamdicto monasterio Flavigniacensi in abbatem preficit. — (Reg. 41, fol. 30 r°; ann. I, n° 103.)

« *Dilecto filio fratri Gibaudo de Sancto Verano abbati*

(1) L'acte a été rajouté dans le Registre en surcharge au bas du folio.

monasterii Flavigniacensis, ordinis Sancti Benedicti, Eduensis diocesis. Pastoralis officii nobis —. Dat. apud Urbemveterem, X kalendas januarii, anno primo. »

In e. mo. priori et conventui monasterii Flavigniacensis quatinus dicto abbati debitam reverentiam exhibere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis monasterii Flavigniacensis. — Dat. ut supra.

104 Orvieto, 12 février 1282.

Cum dudum ecclesia Fesulana pastore destituta, de quondam magistro Raynerio praeposito Florentino, capellano domini papae electio, de Octavante canonico plebis de Coscia Fesulani diocesis postulatio in discordia celebratae fuissent, et coram ipso pontifice, tunc in minori officio constituto, a Nicolao quondam papa in hac parte deputato, dictus O. minime comparuisset, suprafato Raynerio jam defuncto, Philippum dictae ecclesiae in episcopum praeficit. — (Reg. 41, fol. 30 v°; ann. I, n° 104.)

« *Venerabili fratri Philippo episcopo Fesulano.* In supreme dignitatis —. Dat. apud Urbemveterem, II idus februarii, anno primo. »

In e. mo. capitulo Fesulano quatinus eidem episcopo debita reverentia ab ipsis exhibeatur. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero Fesulano. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Fesulanae. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis ecclesiae Fesulanae, quatinus dicto episcopo debitam fidelitatem praestent. — Dat. ut supra.

105 Orvieto, 6 mars 1282.

Cum in monasterio Sancti Pauli de Urbe, morte M. ipsius abbatis vacante, Jacobus de Roma ejusdem monasterii monachus electus fuisset in abbatem, et electionis examinationem .. episcopo Tusculano, G. tituli Sancti Marci presbytero et M. Sanctae Mariae in Porticu diacono cardinalibus Papa commisisset, libera renuntiatione a dicto Jacobo facta, Bartholomeum tunc abbatem monasterii Sancti Gregorii in Clivo Scauri de Urbe in supradictum Sancti Pauli monasterium transfert, eidemque praeficit in abbatem. — (Reg. 41, fol. 30 r°; ann. I, n° 105.)

« *Dilecto filio Bartholomeo abbati monasterii Sancti Pauli de Urbe ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Ex suscepto servitutis —. Dat. apud Urbemveterem, II nonas martii, anno primo. »

In e. mo. conventui monasterii Sancti Pauli de Urbe, quatinus eidem Bartholomeo debitam reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis monasterii Sancti Pauli de Urbe, quatinus eidem consueta servitia et jura debita exhibere studeant. — Dat. ut supra.

106 Orvieto, 27 février 1282.

Potestati, consilio et communi Perusinis, ad instar predecessoris sui Innocentii Papae IIII indulget ut extra civitatem Perusinam ad judicium quolibet modo, auctoritate litterarum hujusmodi indulgentiae specialem mentionem non facientium, evocari non possint, dummodo infra dictam civitatem coram competenti judice justitiae complementum exhibeant. — (Reg. 41, fol. 31 v°; ann. I, n° 106).

« *Dilectis filiis .. potestati consilio et communi Perusinis.* Tranquillitati vestre —. Dat. apud Urbemveterem, II kalendas martii, anno primo. »

In e. mo. .. episcopo Perusino mandat quatinus potestatem, consilium et commune praefatos contra hujusmodi concessionis tenorem indebite molestari minime permittat. — Dat. ut supra.

107 Orvieto, 10 mars 1282.

Symonem, Fratrum Minorum ordinis tunc professorem, Illuminato Assisinate episcopo defuncto, duabusque electionibus in ecclesia celebratis, sed electis electionibus taliter factis non consentientibus, cum partes hujusmodi negotium minime prosecuti fuissent, neque coram Papa mandatae comparuissent, eidem ecclesiae in episcopum praeficit. — (Reg. 41, fol. 31 v°; ann. I, n° 107.)

« *Venerabili fratri Symoni episcopo A[ssi]sinati.* Militanti ecclesie disponente —. Dat. apud Urbemveterem, VI idus martii, anno primo. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Assisinatis mandat quatinus eidem episcopo debitam reverentiam exhibere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Assisinatis. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Assisinatis. — Dat. ut supra.

108 Orvieto, 20 mars 1282.

Gerardum de Moretum, capellanum suum, olim monasterii

Sancti Germani de Pratis Parisiensis abbatem, super provisione facta de bonis quibusdam ejusdem monasterii a dicto Gerardo quoad vixerit possidendis, sub protectione beati Petri et sua suscipit. — (Reg. 41, fol. 32 r°; ann. I, n° 108.)

« *Dilecto filio Gerardo de Moreto capellano nostro quondam abbati monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti.* Supra speculam universalis ecclesie constituti domino disponente tunc suppremi commissum nobis apostolatus officium providentia debita et digna exequimur cum eis qui viventes regulariter et honeste monasteria et ecclesiastica loca sibi commissa regere studuerunt utiliter et augmentare tam sollicite quam prudenter statum procuramus quieti solaminis beneficio gratie specialis. Olim siquidem inter te et nonnullos monachos monasterii sancti Germani de Pratis Parisiensis, ad Romanam ecclesiam immediate spectantis, ordinis sancti Benedicti, communiter ex parte una et Universitatem magistrorum ac scolarium parisiensium ex altera occasione quorumdam fundamentorum latitudinis amplioris que tu dum adhuc esses abbas monasterii memorati ejusque monachi non longe a septis ipsius in via seu secus viam qua itur ad prata scolarium parisien. mandavistis et fecistis construi viam ipsam plus solito coartando, gravis et dispendiose nimis discensionis materia suscitata et enormibus ac periculosis et detestandis exinde subsecutis excessibus in quorumdam de Universitate predicta personas ausu dampnabili perpetratis. Nos tunc in minori officio constituti et in illis partibus legationis fungentes officio cum ex parte ipsius Universitatis ac alias etiam publicus super hiis clamor validus ad nostram audientiam pervenisset ad inquirendum de supradictis excessibus excluendo nostri partes officii duximus procedendum; hujusmodi nempe nostro pendente processu tu, contemptis commodis propriis et honoris postposito tui statu, pro bono pacis et ejusdem tranquillitate monasterii ac etiam Universitatis reverentia supradicte sponte in nostris manibus abbatie ipsius monasterii cedere curavisti. Nosque hujusmodi tuam cessionem duximus admittendam ac tandem tuam tam humilem et spontaneam cessionem tueque devotionis affectum quam erga Romanam gessisti ecclesiam benigne considerationis indagine metientes, pensantes quoque quod tu laudabiliter dicto monasterio prefuisti bona ejus temporalia multipliciter augmentando et propter hoc dignum extimantes et consonum rationi ut tibi de premissis bonis decentis et honorabilis provisionis gratia conferetur tibi pro persona tua tuaque familia competenti de voluntate communi et consensu unanimi ac instantibus precibus totius conventus monasterii prelibati singulariter expressis ab omnibus de ipso conventu a nobis propter hoc specialiter convocato in nostra presentia tunc in eodem monasterio constitutis, premissorum bonorum nichilominus sufficientia diligenter inspecta ut supra certam et determinatam provisionem de nonnullis bonis ipsius monasterii auctoritate nostre legationis tibi concessimus a te quoad vixeris possidendam. Universis ergo et singulis de predicto conventu super hoc specialiter requisitis ac provisionem hujusmodi ratam habentibus et acceptam, nos nichilominus irritum decrevimus et inane si secus de illis vel aliquo seu aliquibus eorumdem contra prefatam provisionem nostram contingeret attemptari, dilectis filiis .. Carnotensi et .. Meledunensi in ecclesia Senonensi archidiaconis super hiis tibi a nobis executoribus deputatis, necnon in contradictores et rebelles de ore nostro dum adhuc legationem prosequeremur eamdem excommunicationis sententia promulgata, quam iidem executores de mandato nostro sollempniter publicarunt, processu vero temporis cum ex dispensatione divina culmen ascendentes apostolice dignitatis in plenitudinem essemus potestatis assumpti provisionem eandem et quicquid nos ipsi duntaxat circa eam tempore dicte legationis nostre fecimus, non obstantibus quibuscumque appellationibus ab eadem provisione ad Sedem Apostolicam interjectis, auctoritate apostolica ex certa scientia de nostre potestatis plenitudinem approbavimus rata et firma habuimus et haberi voluimus atque confirmavimus, decernentes irritum et inane si secus super premissis vel aliquo premissorum contingeret attemptari, remotis inde nonnullis obstaculis et in hiis quibusdam adhibitis clausulis gratiosis necnon et venerabili fratri .. episcopo Meldensi et dilectis filiis magistro Giloni notario nostro archidiacono de Pontivo in ecclesia Ambianensi ac .. preposito ecclesie Sancti Audomari, Morinensis diocesis, super eis conservatoribus et defensoribus deputatis prout hec omnia in nostris seu apostolicis litteris tam super predictis a nobis tibi exhibitis quam conservatoribus et defensoribus directis eisdem plenius continentur. Verum tamen licet ea que sunt a nobis super premissis tam tempore legationis predicte quam postquam Apostolicam Sedem conscendimus edita ad plenum tibi munimen sufficere dinoscantur considerantes tamen quod, sicut reminiscimur, Ramundus abbas ejusdem monasterii, qui tibi in regimine successit illius, moleste ferebat quod tu talem provisionem de predictis bonis habebas et quod vias exquirebat et modos qualiter te super provisione turbaret aut impediret eadem, et ad memoriam reducentes quod tu sicut premittitur sepedictum monasterium tempore tui regiminis laudabiliter augmentasti quodque

pro bono pacis et concordie ac supradicte Universitatis reverentia sponte cessisti ejusdem regimini abbatie, devotionem quoque a te ad ecclesiam Romanam jamdudum habitam pluraque virtutum merita quibus juvari dinosceris non indigne pensantes ac propterea plenius tue quieti consulere et quibusvis personis materiam turbandi te super provisione premissa subtrahere intendentes, personam tuam cum tua competenti familia ac provisione predicta necnon et omnibus ac singulis in ipsa contentis sub protectione Beati Petri et nostra suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes ne dictus abbas aut successores illius sive conventus ejusdem monasterii vel aliqui alii preter Romanum pontificem quacumque super hoc sint auctoritate muniti sive jure ordinarie potestatis te ab eadem provisione vel aliquibus bonis in ipsa contentis dum .. amovere aut coram se convenire vel impedire seque de illa intromittere quoquo modo presumant nisi ab ipso Romano pontifice sit eis super hiis specialis et expressa auctoritas attributa. Nos enim sententias et processus quos secus fereri seu haberi contigerit irritos decrevimus et inanes ac nullius firmitatis. Nulli ergo etc. nostre protectionis inhibitionis et constitutionis etc. Dat. apud Urbemveterem, XIII kalendas aprilis, anno primo. »

In e. mo. .. episcopo Meldensi et Giloni notario apostolico archidiacono de Pontivo in ecclesia Ambianensi ac .. praeposito ecclesiae Sancti Audomari Morinensis diocesis quatinus ne dictus Gerardum ab abbate aut conventu supradicti monasterii molestetur inhibere studeant. — Dat. ut supra.

109 Orvieto, 23 décembre 1281.

Monasterio Pultheriarum, resignatione a Milone ipsius monasterii olim abbate per Pontium procuratorem facta vacanti, Petrum de Sancto Habundo, priorem prioratus Sanctae Margaretae diocesis Belvacensis, praeficit in abbatem. — (Reg. 45, fol. 33 rº; ann. I, nº 109.)

« *Petro de sancto Habundo abbati monasterii Pultheriarum ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis.* Etsi de cunctis. — Dat. apud Urbemveterem, X kal. januarii, anno primo. »

Orvieto, 16 février 1282.

In e. mo. priori et conventui monasterii Pultheriarum mandat quatinus eidem abbati debitam reverentiam exhibeant. — Dat. apud Urbemveterem XIII kal. martii anno primo.

In e. mo. universis vassallis et hominibus dicti monasterii, quatinus eidem abbati debita servitia juraque solita exhibere curent. — Dat. ut supra.

110 Orvieto, 20 février 1282.

Monasterio Praemonstratensi, per resignationem ab Egidio olim ipsius monasterii abbate factam vacanti, Guidonem dictum Peregrinum, tunc monasterium Corneolum praedicti ordinis, Bisuntini diocesis, regentem, praeficit in abbatem. — (Reg. 41, fol. 33 vº; ann. I, nº 110.)

« *Guidoni dicto Peregrino, abbati monasterii Premonstratensis, Laudunensis diocesis.* Onerosa pastoralis officii. — Dat. apud Urbemveterem, X kal. martii, anno primo. »

In e. mo. conventui monasterii Praemonstratensis Laudunensis diocesis, quatinus eidem abbati debitam reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. .. episcopo Laudunensi quatinus dictum abbatum et monasterium ejus benivolentiae gratia prosequatur. — Dat. ut supra.

In e. mo. regi Franciae quatinus supradicto abbati se favorabilem et benignum exhibeat. — Dat. ut supra.

111 Orvieto, 10 mars 1282.

Ecclesiae Tyburtinae, per mortem Jacobi ipsius episcopi vacanti Sabarisium, tunc ecclesiae Sanctae Ceciliae de Urbe canonicum, in episcopum praeficit. — (Reg. 41, fol. 34 rº; ann. I, nº 111.)

« *Venerabili fratri Sabarisio episcopo Tyburtino.* Ad universalis ecclesie. — Dat. apud Urbemveterem, VIº id. martii, anno primo. »

In e. mo. .. archidiacono et capitulo ecclesiae Tyburtinae.

112 Orvieto, 18 mars 1282.

C. regi Siciliae concedit ut decem clerici ejus obsequiis insistentes redditus et proventus beneficiorum suorum, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, integre percipere valeant, ac si in ipsis beneficiis personnaliter residerent. — (Reg. 41, fol. 34 vº; ann. I, nº 112.)

« *Carissimo in Christo filio C. illustri regi Sicilie.* Habet in nobis. — Dat. apud Urbemveterem, XV kal. aprilis, anno primo. »

In e. mo. abbati monasterii Sancti Petri de Cultura Cenomannensis et decano ecclesiae Sancti Laudi Andegavensis, quatinus praefatis clericis dictos redditus ministrari faciant. — Dat. ut supra.

113 Orvieto, 9 mars 1282.

Cum post obitum Raymundi monasterii Electensis abbatis, Bertrandus prior de Pairano diocesis Tholosanae, ab Augerio Crassensi, Bernardo de Sancto Polycarpo monasteriorum abbatibus, et Petro priore Sanctae Columbae et Guillelmo sacrista Maliburgeti Carcassonensis et Narbonensis, Tolosanae ac Tarviensis diocesis et Raymundo Hugonis monacho ipsius Electensis monasterii, a monachis ejusdem plena accepta super hujusmodi negotio potestate, in abbatem electus fuisset, hanc electionem canonice celebratam confirmat. — (Reg. 41, fol. 34 v°; ann. I, n° 113.)

« *Bertrando abbati monasterii Electensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Narbonensis diocesis.* Debitum officii nostri. — Dat. apud Urbemveterem, VII id. martii, anno primo. »

In e. mo. conventui Electensi quatinus eidem abbati debitam obedientiam et reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. vassallis Electensis monasterii quatinus eidem abbati debita jura exhibere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. senescallo Carcassonensi quatinus ejusdem abbatis dictique monasterii jura defendat. — « Divine gratia majestatis. — Dat. ut supra. »

114 Orvieto, 7 janvier 1282.

Vacante ecclesia Magdeburgensi per obitum Conradi quondam ipsius archiepiscopi, cum duae electiones de Guntero, dictae ecclesiae thesaurario et de Bernardo de Welpia, ejusdem cellario, celebratae fuissent, dictae sedis provisionem sibi reservat. — (Reg. 41, fol. 35 r°; ann. I, n° 114; — Kaltenbrunner, p. 267, n° 235.)

« *Martinus etc. ad futuram rei memoriam. Reservatio ecclesiae Magdeburgensis.* Percepto quod vacante. — Dat. apud Urbemveterem, VII° id. januarii, anno primo. »

115 Orvieto, 7 janvier 1282.

Preposito et .. decano ecclesiae Stendaliensis Halberstadensis diocesis mandat quatinus inhibitiones, decreta et interdictionem in praedicta ecclesia publicantibus prefatis Bernardo et capitulo ex parte sua inhibeant ne super praemissis contra inhibitiones aliquid attemptare audeant. — (Reg. 41, fol. 35 r°; ann. I, n° 115; — Kaltenbrunner, p. 268, n° 236.)

« *Dilectis filiis .. preposito et .. decano ecclesie Stendaliensis, Halberstadensis ecclesie.* Percepto quod vacante. — Dat. ut supra. »

116 Orvieto, 18 mars 1282.

Carolo regi Siciliae proponenti in Terrae Sanctae subsidium proficisci decimam omnium ecclesiasticorum proventuum, hujusmodi subsidio deputatam in tota insula Sardiniae totoque regno Ungariae, per sex annos concedit. — (Reg. 41, fol. 35 v°; ann. I, n° 116; — Potthast, n° 21873.)

« *Carissimo in Christo filio C. regi Sycilie illustri et dilecto filio nobili viro C. primogenito ejus principi Salernitano.* Dum immanis persecutionis aculeum quo infidelium manus horribilis terram dominico purpuratam sanguine immaniter premit dirisque infectat aggressibus, insidias quoque quas adversus eam constituere hostiles non desinit in mentis nostre solio memoramus illisque nimirum sollerter compellimur vacare studiis que divine opitulationis consilio represso conatu hostili Terram ipsam Sanctam, proh dolor! ferme totaliter caligine infidelitatis opacam ad lumen christiane veritatis inducant et fidelium oculis in ejusdem oppressione meroribus diutius fatigatis solatio votive consolationis procurent; propter quod crucis insignitis signaculo ut fortius et efficatius se accingant ad ejusdem terre succursum adesse proponimus et votivis gratiis benivoli et oportunis favoribus gratiosi, cum itaque, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos zelo fidei et devotionis accensi vivifice crucis assumpto signaculo proponatis in Terre Sancte subsidium proficisci. Nos hujusmodi vestrum salubre propositum et in oculis divine majestatis acceptum multipliciter in domino commendantes, ut id commodius et efficacius exequi valeatis tibi, fili rex, decimam omnium ecclesiasticorum proventuum hujusmodi subsidio deputatam in tota insula Sardinie totoque regno Ungarie, si quoad decimam ipsius regni ad id carissimi in Christo filii nostri .. regis Ungarie illustris assensus accedat, per sex annos prout est ipsius terre subsidio per generale concilium Lugdunense concessa, dummodo votum crucis in termino tibi ad faciendum passagium per sedem apostolicam assignando personaliter prosequaris, presentium auctoritate concedimus assignandam circa tempus passagii a Sede Apostolica tibi ut predicitur statuendi. Si vero tu, fili rex, personaliter illuc proficisci quovis casu impeditus nequeveris vel nolueris, volumus

quod tu, fili princeps, decimam eamdem simili modo per idem tempus habeas, dummodo pensatis tue potentie juribus cum honorabili bellatorum equitum comitiva ipsius terre negotium transfretando juxta dispositionem eamdem in eodem passagio in persona propria prosequaris. Volumus autem quod tempore assignationis decime memorate ille cui assignationem ipsam fieri contigerit se obliget et sufficienter caveat ad ipsius ecclesie voluntatem quod si, quod absit, contingat eum ut dicitur ab ipsius prosecutione voti mortis aut quovis alio longo impedimento subduci, predicta decima ad Romanam ecclesiam libere revertatur, vosque vel alter vestrum decimam ipsam si forsan ante vestro vel alterius vestrum nomine percepta fuisset eidem Romane ecclesie nomine dicte Terre Sancte reddere teneamini, ad Apostolice Sedis arbitrium in terre memorate subsidium convertendam. Per hujusmodi autem concessionem vobis gratiose factam a nobis in favorem et subsidium dicte terre non intendimus nos vel Cameram nostram aut Romanam ecclesiam si forsan vos vel alterum vestrum dictam decimam quocumque casu vel modo non habere contigerit aliquatenus obligare, ac nichilominus reservans nobis ut absque alicujus variationis nota de decima predicta possimus ante assignationem ipsius inchoandam aliter ordinare si id forsitan ex aliqua causa quam putaremus necessariam utilitati eidem Terre Sancte viderimus expedire, licet nostre intentionis existat ut hujusmodi necessitate cessante assequamini decimam supradictam. Datum apud Urbemveterem, XV kal. aprilis, anno primo. »

117 Orvieto, 18 mars 1282.

Eidem proponenti in Terrae Sanctae subsidium proficisci universa legata et obventiones et redemptiones votorum crucis in tota regno Siciliae et comitatibus Provinciae et Forcalquerii aliisque terris ipsius dominii extra regnum Franciae per sex annos concedit. — (Reg. 41, fol. 35 v°; ann. I, n° 117.)

« *Eidem.* Cum sicut letanter. — Dat. apud Urbemveterem, XV kal. aprilis, anno primo. »

118 Orvieto, 23 décembre 1281.

Cum, vacante ecclesia Mutinensi per obitum Mathei quondam ipsius episcopi, Hugolinus Manfredusque de Presulis, archipresbyter plebis de Baiorca predicti diocesis, in episcopos electi fuissent, mortuo dicto Hugolino et dicto Manfredo omni juri suo in manus Nicolai quondam papae renuntiante, cum dictus papa de .. Firmano episcopo prefatae ecclesiae in episcopum providisset, sed ille per litteras eidem Nicolao destinatas hujusmodi munus minime accepisset, Arditionem de Mediolano dictae Mutinensi ecclesiae praeficit in episcopum. — (Reg. 41, fol. 36 r°; ann. I, n° 118.)

« *Magistro Arditioni de Mediolano electo Mutinensi.* Mutinensis ecclesiae per obitum. — Dat. apud Urbemveterem, X kal. januarii, anno primo. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Mutinensis quatinus predicto episcopo obedientiam et reverentiam debita exhibere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Mutinensis. — Dat ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Mutinensis quatinus praedicti episcopi mandatis et monitis humiliter intendant. — — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis ecclesiae Mutinensis quatinus eidem consueta exhibeant servitia et de juribus ac redditibus ei debitis respondere curent. — Dat. ut supra.

119 Orvieto, 4 mars 1282.

Archiepiscopo Nidrosiensi, qui ei scripserat quod decima in Islandiae et Ferroyum insulis necnon et in Gronlandia in diversis rebus persolvitur quae facili permutari et ad competens vendi pretium non possunt, mandat quatinus decimas predictas, prout melius et utilius fieri poterit in aurum convertere studeat easque ad Apostolicam Sedem pro subsidio Terrae Sanctae quam cito transmittat. — (Reg. 41, fol. 36 v°; ann. I, n° 19; — Potthast, n° 21858.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Nidrosiensi.* Tua nobis fraternitas intimavit quod decima que in Islandie et Ferroyum insulis in regno Norwegie constitutis in diversis rebus persolvitur que de facili permutari vel pecunialiter vendi non possunt, propter quod decimam eamdem nequit ad Terram Sanctam vel ad Sedem Apostolicam comode destinari. Subjuncxisti (*sic*) quoque quod Gronlandie decima non percipitur nisi in bovinis et focarum coriis ac dentibus et funibus balenarum que, sicut asseris, vix ad competens pretium vendi possunt. Unde quod super premissis a te agendum existat petiisti te per Apostolice sedis oraculum edoceri. Nos itaque tue sollicitudinis commendantes consultationi tue taliter respondemus quod tam insularum quam Gronlandie decimas predictarum in argentum vel aurum prout melius et utilius fieri poterit convertere studeas, illud una cum illa alia decima in ipso regno collecta pro ipsius terre subsidio ad Apostolicam Sedem quam cito poteris transmissurus, quid et quantum destinaveris fideliter intimando. Ceterum carissimo in Christo filio nostro regi Norwegie illustri nostras rogatorias litteras destinamus ut non im-

pediat nec impediri permittat quando decima ipsa de regno suo libere extrahatur, in predicte Terre subsidium secundum Apostolice Sedis arbitrium disponenda, quodque prohibitionem contra ejusdem clericos regni factam ne quivis laicus ipsius regni sterlingos vel argentum aliud vendere quoquomodo presumat studeat difficultate summota qualibet revocare. Dat. apud Urbemveterem, IIII nonas martii, anno primo. »

120 Orvieto, 4 mars 1282.

Regem Norwegiae hortatur ut nequaquam impediat neque impediri permittat quin decima Terrae Sanctae subsidio deputata de regno suo extrahatur. — (Reg. 41, fol. 36 v°; ann. I, n° 120; — Potthast, n° 21859.)

« .. *regi Norvegie illustri*. Quam sit gravis. — Dat. ut supra. »

121 Orvieto, 4 mars 1282.

Eundem hortatur ut prohibitionem ne quivis laicus regni sui sterlingos vel argentum aliud ipsius regni clericis vendere presumat revocet, cum occasione hujus prohibitionis clerici ad persolvendum in pecunia vel argento decimam pro Terrae Sanctae subsidio deputatam reddantur impotentes. — (Reg. 41, fol. 37 r°; ann. I, n° 121; — Potthast, n° 21860.)

« *Eidem*. Paterne dilectionis affectus. — Dat. ut supra. »

122 Orvieto, 7 mars 1282.

Matheo abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia facultatem absolvendi a sententia excommunicationis clericos et laicos villae Sancti Dyonisii et locorum in quibus predictum monasterium habet juridictionem, olim eidem Matheo ad tempus a Nicolao papa concessam, iterum concedit. — (Reg. 41, fol. 37 r°; ann. I, n° 122; — Potthast, n° 21865.)

« *Matheo abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis diocesis*. Etsi cunctis orbis. — Dat. apud Urbemveterem, nonis martii, anno primo. »

123 Orvieto, 7 mars 1282.

Eidem Matheo et successoribus ejus, privilegium a Nicolao papa concessum, conferendi tonsuram clericalem et alias minores ordines subditis de villa Sancti Dyonisii ac locis aliis in quibus abbas Sancti Dyonisii juridictionem spiritualem habet, necnon benedicendi ornamenta ecclesiastica in ecclesiis, capellis et oratoriis villae et locorum supradictorum, confirmat. — (Reg. 41, fol. 37 v°; ann. I, n° 123; — Potthast, n° 21866.)

« *Eidem*. Laudanda religio quam —. Dat. ut supra. »

124 Orvieto, 7 mars 1282.

Abbati Sancti Germani de Pratis Parisiensis mandat quatinus Mattheo abbati monasterii Sancti Dyonisii, quem procuratorem suum et ecclesiae Romanae papa constituit, per se vel per alium reddat per viam justitiae complementum in hujusmodi negocii prosecutione. (Reg. 41, fol. 37, v°; ann. I, n° 124.)

« .. *abbati Sancti Germani de Pratis Parisiensis*. Ne jus ecclesie Romane quod ad eam in monasterio Sancti Dyonisii in Francia ad ipsam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis Sancti Benedicti Parisiensis diocesis et ejus membris pertinet remaneat indefensum, dilectum filium Matheum abbatem ipsius monasterii nostrum et ipsius ecclesie procuratorem per nostras duximus litteras statuendum ut, cum adversus ipsius ecclesie Romane possessiones et jura nonnisi centenaria currat prescriptio, idem vice nostra et ipsius ecclesie procuret que pro defensione juris hujusmodi fuerint in judicio procuranda; quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus eidem abbati jus hujusmodi legitime prosequenti reddas per te vel per alium super hoc contra quoscumque, cujusvis ordinis conditionis status vel dignitatis existant, per viam justitie complementum, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes, etc. Nonobstante si eis vel aliis quibuscumque ab Apostolica Sede indultum existat quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem seu qualibet alia ipsius sedis indulgentia per quam effectus presentium impediri valeat vel differri aut constitutione de duabus dictis edita in concilio generali, dummodo ultra terciam vel quartam auctoritate presentium aliquis extra suam diocesim ad judicium non trahatur. Dat. apud Urbemveterem, nonas martii, anno primo. »

125 Orvieto, 7 mars 1282.

Matheum abbatem Sancti Dyonisii in Francia suum et ec-

clesiae Romanae constituit procuratorem. — (Reg. 41, fol. 38 r°; ann. I, n° 125; — Potthast, n° 21867.)

« *Eidem.* Ne jus ecclesiae. — Dat. ut supra. »

126 Orvieto, 23 décembre 1282.

Cum, Gneçnensi ecclesia per obitum Martini quondam ipsius archiepiscopi vacante, capitulum dictae ecclesiae Wlostiberium Gneçnensem canonicum in archiepiscopum elegisset, cumque ille propter ipsius ecclesiae inopiam ac viarum discrimina ad Sedem Apostolicam pro suae electionis negotio prosequendo accedere non potuisset et ideo in manibus .. episcopi Firmani, legati super hujusmodi electionis inquisitione deputati, omni juri suo renuntiasset, fratrem H. de Brem, ordinis Minorum, dictae ecclesiae preficit in archiepiscopum. — (Reg. 41, f. 38 r°; ann. I, n° 126; — Potthast, n° 21824.)

« *Dilecto filio fratri Henrico de Brem electo Gneçnensi.* Onerosa pastoralis officii. — Dat. apud Urbemveterem, X kal. januarii. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Gneçnensi, quatinus dicto H. debitam obedientiam et reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero Gneçnensis civitatis et diocesis quatinus dictum H. tanquam patrem et pastorem accipiant. — Dat. ut supra.

In e. mo. episcopis suffraganeis ecclesiae Gneçnensis. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo Gneçnensi quatinus dicti H. mandatis et monitis intendere studeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. .. duci Cracoviae quatinus dictum H. et ecclesiam ei commissam commendatos habeat. — Dat. ut supra.

In e. mo. .. duci Poloniae. — Dat. ut supra.

In e. mo. .. duci Wratislavensi. — Dat. ut supra.

127 Orvieto, 15 mars 1282.

Arnulfo canonico monasterii Sanctae Genovefae Parisiensis, qui ejusdem monasterii regimini renuntiaverat, concedit ut in praedicto monasterio pro se et socio et duobus famulis ydoneam domum habere possit. — (Reg. 41, fol. 38 v°; ann. I, n° 127.)

« *Dilecto filio Arnulfo canonico monasterii Sancte Genovefe Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini.* Dum ad personam tuam cujus laudabilia merita nobis incognita non existunt mentis convertimus aciem et eximie devotionis affectum quo erga nos et Apostolicam Sedem te ab olim fervere perpendimus ad memoriam revocamus, multa nimirum reddimur attentione solliciti ut de tui qualitate status super quo tibi affectione paterna compatimur vigilantius cogitemus. Dudum siquidem salubri meditatione recogitans et studio laudando considerationis attendens quod tu ad monasterium Sancte Genovefe Parisiensis ad Romanam ecclesiam immediate spectantis, ordinis sancti Augustini, exercendum regimen cui preeras ob graves tibi supervenientis infirmitatis molestias impotens factus eras nec poteras labores et sollicitudines plurimas quas ejusdem cura regiminis exigit tolerare, ac verisimiliter metuens ut monasterium ipsum incommoda perpeti occasione hujusmodi tue impotentie cogeretur, per dilectum filium fratrem Gaufridum, cancellarium ejusdem monasterii, procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum, prout nobis per tuas patentes litteras super hujusmodi confectas negotio tuique sigilli quo tunc temporis utebaris appensione munitas constitit evidenter, predicti monasterii regimen sponte ac libere in nostris manibus resignasti. Cujus resignationem duximus admittendam, provisionem ejusdem monasterii hac vice de fratrum nostrorum consilio dispositioni Sedis Apostolice reservantes. Nos autem prefatum monasterium favoris et dilectionis affluentia prosequentes et volentes ejus obviare dispendiis que vacatio solet ingerere diuturna, dilectum filium fratrem Guilelmum de Autisiodoro tunc canonicum monasterii Sancti Victoris juxta Parisius, ejusdem ordinis, eidem monasterio Sancte Genovefe de predictorum fratrum consilio prefecimus in abbatem, sibi administrationem illius in spiritualibus et temporalibus committentes. Attendentes igitur honeste conversationis et vite merita quibus pollere dinosceris, quodque in ejusdem executione regiminis laudabiliter te gessisti, et propter hoc dignum et conveniens arbitrantes ut in necessitatis tempore de ipsius monasterii Sancte Genovefe bonis a te hactenus utiliter gubernatis continue subventionis auxilium tibi sentias provenire volumus et presentium tibi auctoritate concedimus ut in predicto monasterio Sancte Genovefe congruam pro te ac uno socio ydoneo de ipsius monasterii gremio assumendo et duobus famulis cameram habeas sive domum, ac ea que sustentationi humane vite necessaria esse noscuntur, pro te secundum tui conditionem corporis tibi competentia, et eisdem socio et famulis prout aliis canonicis et servientibus ipsius monasterii diebus singulis ministrantur, ac insuper centum libras parisiensium de proventibus ejusdem monasterii tibi in festo beati Remigii persolvendas quoad visceris (*sic*) percipias annuatim. Nos enim ad omnia et singula supradicta tibi quamdiu vixeris integraliter exhibenda abbatem et conventum dicti monasterii ac etiam monasterium ipsum teneri volumus ipsosque ad ea decrevimus obligatos. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Dat. apud Urbemveterem, idibus martii, anno primo. »

128 Orvieto, 15 mars 1282.

Abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia et decano ecclesiae Sancti Marcelli juxta Parisius mandat quatinus dicto Arnulfo canonico monasterii Sanctae Genovefae Parisiensis jura in superiore carta relata ministrari procurent. — (Reg. 41, fol. 39 r°; ann. I, n° 128.)

« *Dilectis filiis abbati de Sancto Dionisio Parisiensis diocesis et decano ecclesiae Sancti Marcelli juxta Parisius.* Dum ad personam. — Dat. ut supra. »

129 Rome, 11 janvier 1282.

Cum in ecclesia Novariensi per obitum ipsius pastoris vacante duae electiones de F., ejusdem ecclesiae archidiacono, ac de P., praeposito ecclesiae Sancti Gaudentii Novariensis, celebratae fuissent, ne quis de novo quempiam in episcopum eligere praesumet, prohibet. — (Reg. 41, fol. 39 v°; ann. I, n° 129.)

« *Reservatio ecclesie Novariensis, Martinus etc.* Ad perpetuam rei memoriam. — Dat. apud Urbemveterem, III idus januarii, anno primo. »

FIN DE LA PREMIÈRE ANNÉE.

INCIPIT REGESTRUM LITTERARUM SECUNDI ANNI

DOMINI MARTINI PAPE IIII

---

130 Orvieto, 10 avril 1282.

Episcopo Parmensi, cum, injuriis et excessibus contra fratres ordinis Predicatorum civitatis Parmensis perpetratis, Latinus Ostiensis episcopus, Apostolicae Sedis legatus, in potestatem, capitaneum, ancianos, primicerios et consiliarios civitatis ejusdem excommunicationis ac in civitatem eandem interdicti sententias promulgasset, mandat quatinus, receptis a communi Parmensi fidejussoribus idoneis quod omnibus Ecclesiae mandatis parebunt, illos quos ejusdem excommunicationis sententia contingit absolvat, ac interdictum hujusmodi relaxet, sed nihilominus eosdem coram papa citare procuret. (Reg. 41, f° 41 r° ; ann. II, n° 1.)

« *Martinus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Parmensi, salutem et apostolicam benedictionem.* Accedentes ad presentiam nostram ambassiatores et syndici communis civitatis Parmensis, nobis exponere curaverunt quod venerabilis frater noster Latinus, episcopus Ostiensis, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatus .. potestatem, .. capitaneum, antianos, primicerios, consiliarios, et commune civitatis ejusdem per suas sub certa forma citavit litteras, ut super injuriis et excessibus contra fratres ordinis Predicatorum dicte civitatis et locum ipsorum, occasione cujusdam mulieris civitatis predicte relapse in heresim et propterea incendio tradite, perpetratis, dicti potestas et capitaneus vel eorum alter cum duodecim ambassiatoribus ex majoribus civibus et sufficienti sindico civitatis prefate, coram eodem episcopo certis loco et termino personaliter comparere deberent satisfactionem condignam impensuri Ecclesie, ac ipsius episcopi et Apostolice Sedis in hac parte mandatis plenarie pârituri. Sed licet capitaneus, cum eodem ambassiatorum hujusmodi numero et sufficienti sindico in predictis loco et termino comparere personaliter coram eodem episcopo curavisset, idem tamen episcopus sindicum ipsum minus sufficientem reputans, in potestatem, capitaneum, antianos, primicerios et consiliarios supradictos, excommunicationis ac in civitatem eandem interdicti sententias promulgavit, monens nichilominus peremptorie dictos potestatem et alios ut infra quindecim dies ex tunc proxime subsequentes, de hujusmodi ab eis offensa commissa et contumatia eorundem satisfactionem celerem exhibere ac juxta sue prioris citationis formam, coram eo sufficienter comparere curarent; alioquin gravius procederet contra illos. Quare ambassiatores et sindici memorati pro parte potestatis, capitanei, antianorum, primiceriorum, consiliariorum et communis predictorum nobis humiliter supplicarunt ut, cum iidem potestas, capitaneus et alii parati sint tam super hujusmodi eorum contumatia nostris et Apostolice Sedis mandatis et beneplacitis obedire, quam etiam de stando juri super excessibus offensa et injuriis supradicti impendere sufficientem fidejussoriam et juratoriam cautionem, prefatas excommunicationis et interdicti relaxari sententias faceremus. Nos autem, volentes in hac parte non asperitatem rigoris, sed lenitatem mansuetudinis, quam libenter in nostris amplexamur actibus, observare, cautionem eandem nomine potestatis, capitanei et aliorum predictorum ab ambassiatoribus et sindicis prefatis exhibitam et pro parte etiam adimpletam duximus admittendam.

Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, receptis a prefato communi Parmensi fidejussoribus ydoneis, personis scilicet singularibus, de mille marcis argenti, quod super premissis omnibus nostris et Ecclesie Romane mandatis et beneplacitis parebunt omnino, illis, quos ejusdem excommunicationis contingit sententia, juxta formam Ecclesie beneficium absolutionis impendas, si illud a te duxerint humiliter postulandum, ac interdictum hujusmodi auctoritate nostra sublata difficultate relaxes, injuncto talibus quod de jure fuerit injungendum; et nichilominus potestatem, capitaneum, antianos, primicerios, consiliarios, et commune prefatos ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra unius mensis spatium post citationem tuam immediate sequentis, per se vel per sindicos seu procuratores ydoneos ad hoc sufficienter instructos compareant coram nobis, super excessibus offensis et injuriis prelibatis nostris et Apostolice Sedis beneplacitis parituri, ac facturi et recepturi super hiis quod ordo dictaverit rationis. Super premissis autem fieri facias duo publica instrumenta, et nichilominus diem citationis et formam et quicquid super predictis duxeris faciendum, nobis per tuas litteras patentes harum seriem continentes, studeas fideliter intimare, alterum instrumentorum ipsorum nobis per fidelem nuntium destinando. Dat. apud Urbemveterem, IIII idus aprilis, pontificatus nostri anno secundo. »

131 Orvieto, 17 avril 1282.

Pantaleoni patriarchae Constantinopolitano, ut de bonis mobilibus ecclesiasticis ipsius dispositioni seu administrationi commissis, quae non fuerint altarium ecclesiarum ipsi commissarum ministerio deputata, necnon et de quibuscumque bonis mobilibus ab ipso per ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis testari ac disponere possit, concedit facultatem. — (Reg. 41, fol. 41 v°; ann. II, n° 2.)

« *Venerabili fratri Pantaleoni, patriarche Constantinopolitano.* Quia presentis vitae —. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. maii, anno secundo. »

132 Orvieto, 13 avril 1282.

Cathanensi ecclesiae per obitum Archebaldi episcopi pastores destitutae, cum Ricardus decanus, dictae ecclesiae in episcopum per compromissum a capitulo electus, omne jus suadente Nicolao papa resignasset, ac magister Herveus de Donodei, canonicus ecclesiae Sancti Andreae in Scotia, dein electus apud Sedem Apostolicam mortuus esset, Alanum tunc capellanum Hugonis tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, praeficit in episcopum. — (Reg. 41, fol. 41 v°; ann. II, n° 3.)

« *Venerabili fratri Alano. Cathanensi episcopo.* Dudum Cathanensis ecclesia —. Dat. apud Urbemveterem, idibus aprilis, anno secundo. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Cathanensis quatinus eidem episcopo obedientiam et reverentiam debitam exhibeat. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Cathanensis.

In e. mo. populo civitatis Cathanensis quatinus ejusdem episcopi mandatis et monitis intendat. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis ecclesiae Cathanensis quatinus eidem, consueta servitia et jura exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. regem Scotiae rogat quatinus eundem episcopum et commissam ei ecclesiam suae benivolentiae gratia prosequatur. — Dat. ut supra.

133 Orvieto, 13 avril 1282.

Ecclesiae Lundensi pastore destitutae Johannem, tunc ejusdem ecclesiae archidiaconum, in archiepiscopum quasi per inspirationem a praeposito et capitulo unanimiter electum, licet in assumendo iter occasione hujusmodi ad Sedem Apostolicam veniendi constitutionem Nicolai papae non servaverit, in archiepiscopum praeficit. — (Reg. 41, fol. 42; ann. II, n° 4.)

« *Johanni archiepiscopo Lundensi.* Dudum Lundensis ecclesia —. Dat. apud Urbemveterem, idibus aprilis, anno secundo. »

In e. mo. praeposito et capitulo Lundensibus quatinus eidem et reverentiam debitam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Lundensis. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Lundensis mandat quatinus dicti archiepiscopi mandatis et monitis intendant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis ecclesie Lundensis mandat quatinus dicti archiepiscopi mandatis et monitis intendant, ac ei consuota exhibeant servitia et de juribus debitis respondeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. regem Daciae rogat quatinus dictum archiepiscopum et commissam ei ecclesiam suae benivolentiae gratia prosequaris. — Dat. ut supra. (Potthast, n° 21884.)

134 Orvieto, 13 avril 1282.

Ecclesiae Tudertinae per obitum Anglarii episcopi vacanti, cum magister Giffridus de Anagnia, litterarum contradictarum

papae auditorem, in episcopum a capitulo electus, electioni hujusmodi renuntiasset, Nicolaum, tunc archidiaconum Tudertinum, ab eodem capitulo electum, praeficit in episcopum. — (Reg. 41, fol. 42 v°; ann. II, n° 5.)

« *Nicolao episcopo Tudertino.* Militante ecclesia disponente —. Dat. apud Urbemveterem, idibus aprilis, anno secundo. »

In e. mo. priori et capitulo ecclesiae Tudertinae quatinus eidem episcopo obedientiam et reverentiam debitam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Tudertinae.

In e. mo populo civitatis et diocesis Tudertinae quatinus ejusdem mandatis et monitis intendant. — Dat. ut supra.

135 Orvieto, 5 avril 1282.

Johanni archiepiscopo Lundensi per J. Sanctae Mariae in Cosmedin diaconum cardinalem pallium transmittit. — (Reg. 41, fol. 43; ann. II, n° 6; — Potthast, n° 21878.)

« *Johanni archiepiscopo Lundensi.* Cum palleum insigne —. Dat. apud Urbemveterem, nonis aprilis, anno secundo. »

136 Orvieto, 13 avril 1282.

Monasterio Sancti Petri Generensis, Tarviensis diocesis, Arnaldum Guillelmi, praefati monasterii monachum, per viam compromissi primo ab Arnaldo de Frontino, Petro de Supercasa, Geraldo de Morario, Arnaldo Guillelmi de Maribad, ejusdem monasterii monachis ac Odone de Benacho canonico et infirmario ecclesiae Tarviensis, accepto super hoc a monachis dicti monasterii speciali mandato, electum, in abbatem praeficit. — (Reg. 41, fol. 43; ann. II, n° 7.)

« *Arnaldo Guillelmi abbati monasterii sancti Petri Generensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Tarviensis diocesis.* Dudum monasterio. — Dat. apud Urbemveterem, idibus aprilis, anno secundo. »

In e. mo. priori et conventui monasterii Sancti Petri Generensis quatinus eidem abbati obedientiam et reverentiam debitam exhibeant.

In e. mo. universis vassallis monasterii Sancti Petri Generensis quatinus, eidem praestantes fidelitatis juramentum, consueta servitia et jura exhibeant.

137 Orvieto, 22 avril 1282.

Radulpho dicto Cheval, clerico Parisiensi, in minoribus ordinibus constituto, qui per Nicolaum de Terracina, capellanum papae, archidiaconum Lexoviensem, fuit repertus idoneus, tabellionatus officium concedit. — (Reg. 41, fol. 43 v°; ann. II, n° 8.)

« *Radulpho dicto Cheval clerico Parisiensi in minoribus ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria —. Dat. apud Urbemveterem, X kal. maii, anno secundo. »

138 Orvieto, 22 avril 1282.

Petro notarii Jacobi, civi Beneventano, qui per magistrum Nicolaum de Terracena capellanum papae, doctorem decretorum, examinatorem super hoc deputatum, fuit repertus idoneus, tabellionatus officium concedit. — (Reg. 41, fol. 43 v°; ann. II, n° 9.)

« *Petro notarii Jacobi civi Beneventano.* Quoniam si jus —. Dat. ut supra. »

139 Orvieto, 20 avril 1282.

Andreae Mainacaprae, clerico Setino, in minoribus ordinibus constituto, Terracinensis diocesis, qui per magistrum Nicolaum de Terracena, capellanum papae, archidiaconum Lexoviensem, examinatorem super hoc deputatum, fuit repertus idoneus, tabellionatus officium concedit. — (Reg. 41, fol. 44; ann. II, n° 10.)

« *Andree Mainacapre clerico Setino, in minoribus ordinibus constituto, Terracinensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. apud Urbemveterem, XII kal. maii, anno secundo. »

140 Orvieto, 5 avril 1282.

M. episcopo Cassanensi mandat quatinus ecclesiasticas personas Siciliae ac Calabriae, quas minus debito de decima Terrae Sanctae subsidio deputata persolvisse, ac quas ob negotium predictae decimae excommunicationum sententias incurrisse ipsi constiterit, necnon collectores et depositarios ejusdem decimae moneat ut ipsam decimam cum integritate persolvant et debitam satisfactionem impendant, illos qui paruerint ab excommunicationum sententiis absoluturus; quod si iidem monitis ejus parere contempserint, eos nominatim censura ecclesiastica percellat, et post unum mensem, ut co-

ram papa infra duorum mensium spatia compareant, citare procuret. — (Reg. 41, fol. 44; ann. II, nº 11.)

« *Venerabili fratri M. episcopo Cassanensi.* Ut de statu negotii decime per felicis recordationis Gregorium papam X, predecessorem nostrum, in generali Lugdunensi concilio Terre Sancte subsidio deputate, cujus collectionis in Sycilia et Calabria ministerium dictus predecessor tibi per suas litteras sub certa forma commisit, per te certificari possemus te reddituram nobis de executione hujusmodi tui ministerii rationem, nuper voluimus ad presentie nostre venire conspectum. Sane inter alia que circa idem negotium post rationem redditam de collectis, te significante, accepimus quod eo pretextu quod dictus predecessor, in declaratione super modo solvendi hujusmodi decimam facta per illum inquisitionem faciendam circa non solventes decimam ipsam sub certo modo Sedi Apostolice specialiter reservans, episcopos et abbates, ceterasque personas ecclesiasticas honorabiles non suspectas duxit proprie conscientie relinquendos, ita quod sufficeret quoad tales excommunicationis sententia que in nullo modo vel scienter minus solventes et adhibentes fraudem et malitiam circa ipsius decime solutionem generaliter proferetur, nonnulli archiepiscopi et episcopi ac alie persone ecclesiastice honorabiles Sycilie ac Calabrie, exinde sumentes audatiam, nichil de dicta decima, quidam vero ex eis minus integre illam de proventibus suis ecclesiasticis persolvere curaverunt; quamplures quoque alii archiepiscopi, et episcopi, abbates, priores, prelati, rectores, et alii clerici ecclesiarum et monasteriorum partium predictarum, necnon monasteriorum et ecclesiarum predictorum conventus et capitula, pro eo quod dictam decimam de hujusmodi eorum proventibus, vel nullo modo, aut scienter non integraliter, aut non in constitutis super hoc in eodem concilio terminis persolverunt, sive fraudem adhibuerunt circa solutionem ipsius decime faciendam, seu alias prestiterunt impedimentum quominus ipsa decima solveretur, plurimumque latam tam per te quam in eodem concilio, in hujusmodi casibus excommunicationis sententiam incurrerunt; nonnulli etiam ex collectoribus a te super colligenda predicta decima in predictis partibus deputatis de collectis per eos de ipsa decima non reddiderunt plenariam rationem, quodque depositarii ejusdem decime in exhibendo tibi ea que apud illos per te vel eosdem collectores fuere deposita se difficiles reddere non verentur. Quare a nobis petiisti humiliter edoceri qualiter procedere debeas in premissis. Nos autem, ardenti desiderio hanelantes, quod negotium ipsius decime felicem et optatum consequatur effectum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus in negotio ipso juxta priorum ipsius predecessoris litterarum tenorem, diligentia exacta procedens, illos ex archiepiscopis, episcopis, et aliis personis ecclesiasticis partium earundem cujuscumque status seu dignitatis existant, quos tibi constiterit, per inquisitionem quam tibi super hiis auctoritate presentium committimus fatiendam, ex probabilibus seu ex verisimilibus conjecturis, pensatis eorum proventibus, minus debito notabiliter de decima persolvisse, ita quod super hoc merito suspecti debeant reputari, necnon et eos ex archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, prelatis, rectoribus, et aliis clericis et ecclesiasticis personis prefatis quos tibi ob premissas causas hujusmodi excommunicationum sententias constiterit incurrisse, ac collectores et depositarios predictos ex parte nostra efficaciter moneas et inducas, ut infra competentem terminum a te prefigendum eisdem, iidem archiepiscopi et episcopi ac alie ecclesiastice persone de proventibus suis hujusmodi decimam cum integritate persolvant, et de hujusmodi impedimento tibi plenam et debitam satisfactionem impendant; collectores quoque predicti de collectis ab eis reddant tibi plenariam rationem, ac iidem depositarii predicta deposita, sublata difficultate qualibet, infra hujusmodi terminum tibi studeant exhibere; ac nichilominus illos ex personis eisdem qui monitis tuis plene in hac parte paruerint, ab excommunicationum sententiis, si quas propter hoc incurrerunt, auctoritate nostra, juxta Ecclesie formam, absolvas, et dispenses cum eis super irregularitate, si quam contraxerunt predictis ligati sententiis, non tamen in contemptum clavium, divina officia celebrando, vel se immiscendo eisdem, injuncto ipsis quod de jure fuerit injungendum. Quod si tales monitis tuis infra premissum tempus parere forte contempserint, archiepiscopos, episcopos, et alias ecclesiasticas personas prefatos quos taliter suspectos invenies, auctoritate predicta nominatim ecclesiastica censura percellas; et si ipsi per unum mensem censuram hujusmodi sustinuerint animis induratis, ipsos ex tunc et alios excommunicatos, collectores, ac depositarios memoratos peremptorie citare procures, ut infra duorum mensium spatium post citationem tuam per se vel per procuratores ydoneos compareant coram nobis, nostris super hoc mandatis et beneplacitis parituri, ac facturi et recepturi quod justicia suadebit; dies vero citationum et formas, et quicquid super hoc duxeris faciendum nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Ceterum, ut officium tui in hac parte commissum utilius et efficatius valeas exercere, compellendi auctoritate nostra predictos prelatos aliasque personas ecclesiasticas partium illarum ad

providendum tibi de securo conductu, cum super hoc a te fuerint requisiti, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem : non obstante si est aliquibus ab eadem Sede indultum, quod interdici, vel excommunicari nequeant vel suspendi. Dat. apud Urbemveterem, nonis aprilis, anno secundo. »

141 Orvieto, 21 mai 1282.

Alcampo, praeposito ecclesiae Pratensis, capellano papae, collectori decimae Terrae Sanctae subsidio in Tusciae et Maremmae partibus deputat, mandat quatinus personas ecclesiasticas ipsarum partium, quas minus debito notabiliter de decima Terrae Sanctae subsidio deputata persolvisse, ac eos quos ob negotium praedictae decimae excommunicationum sententias incurrisse ipsi apparuerit, necnon collectores et depositarios ejusdem decimae moneat, ut ipsam decimam cum integritate persolvant et debitam satisfactionem impendant, illos qui paruerint ab excommunicationum sententiis absoluturus, eos vero qui monitis ejus parere contempserint, nominatim censura ecclesiastica perculsurus, et quod post unum mensem ut coram papa infra unius mensis spatium compareant citari procuret. — (Reg. 41, fol. 44 v°; ann. II, n° 11 *bis* (1).

« *Alcampo, preposito ecclesie Pratensis, capellano nostro, collectori decime Terre Sancte subsidio in Tuscie et Maremme partibus deputato* (sic). Ut de statu —. Dat. apud Urbemveterem, XII kal. junii, anno secundo. »

142 Orvieto, 9 avril 1282.

Venturae, archipresbytero Clusino, scriptori suo, mandat quatinus erga archiepiscopos, episcopos et alios personas ecclesiasticas honorabiles Lombardiae, marchiae Tervisinae, Aquilegensis et Gradensis patriarchatuum et archiepiscopatus januensis in eundem modum procedat. — (Reg. 41, fol. 44b v°; ann. II, n° 12.)

Venture, archipresbytero Clusino, scriptori nostro. Ut de statu negotii decime per felicis recordationis Gregorium papam X in generali Lugdunensi concilio Terre Sancte subsidio deputate, cujus collectionis in partibus Lombardie Marchie Tervisine, Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus et archiepiscopatu Januensi ministerio dictus predecessor quondam Arditionem decanum Nicosiensem deputavit, et tandem eodem Arditione sublato de medio, Nicolaus III predecessor te eidem Arditioni super hujusmodi collectionis negotio subrogavit, tibi illud per suas sub certa forma litteras committendo, per te certificari possemus, te redditurum nobis de executione collectionis hujusmodi rationem voluimus ad presentie nostre venire conspectum. Sane inter alia — etc. ut in secunda superiori verbis competenter mutatis, usque : — quod excommunicari nequeant vel suspendi. Dat. apud Urbemveterem, V idus aprilis, anno secundo. »

(1) Il existe dans le registre deux numéros 11.

143 Orvieto, 5 avril 1282.

Baiamundo de Vitia, canonico Astensi, collectori decimae in regno Scotiae Terrae Sanctae subsidio deputatae, mandat quatinus episcopos, praelatos, rectores aliosque clericos ecclesiarum ipsius regni qui non integre eandem decimam solverunt vel ipsius solutioni impedimentum praestiterunt, moneat ut praedictam decimam integre solvant et de impedimento praestito satisfaciant, alioquin eos coram papa citaturus. — (Reg. 41, fol. 45; ann. II, n° 13.)

« *Baiamundo de Vitia, canonico Astensi, collectori decime in regno Scotie, Terre Sancte subsidio deputate.* Intelleximus per litteras tuas, quas dilecto filio nostro J., Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali, misisti, quod nonnulli episcopi —. Si vero iidem infra hujusmodi terminum non curaverint super hoc tue monitioni parere, tu eos ex tunc peremptorie citare procures, ut infra tres menses post citationem tuam per se vel per procuratores ydoneos compareant coram nobis, nostris in hac parte beneplacitis pariturí : diem vero citationis et formam et quicquid inde super hiis duxeris faciendum nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Dat. apud Urbemveterem, nonis aprilis, anno secundo. »

144 Orvieto, 5 avril 1282.

Eidem mandat quatinus, processu habito contra supradictos, ad Sedem Apostolicam revertatur, papae quod fecerit relaturus, et de collectione praedictae decimae rationem redditurus. — (Reg. 41, fol. 45; ann. II, n° 14.)

« *Eidem.* Per litteras quas misisti dilecto filio nostro J., Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali, cum instantia postulasti, ut, cum in partibus illis non sit ulterius negotio decime Terre Sancte deputate subsidio fructuosa vel utilis mora tua, te ad Sedem revocare Apostolicam curaremus. Cum itaque per alias nostras tibi sub certa forma litteras injungamus, ut contra illos de partibus regni Scotie qui pro eo quod decimam vel nullo modo vel scienter non integre aut non in constitutis super hoc in Lugdunensi concilio terminis persol-

verunt, vel fraudem adhibuerunt in solutione hujusmodi seu alias impedimentum prestitisse noscuntur, quominus predicta decima persolvatur, plerumque latam, tam per te quam in Lugdunensi concilio in casibus hujusmodi excommunicationis sententiam incurrerunt, certum debeas habere processum, volumus et discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, hujusmodi processu habito contra tales, ad nostram presentiam sine more dispendio revertaris, nobis quod in hac parte feceris relaturus et redditurus etiam de collectione predicte decime, prout de beneplacito nostro processerit, plenariam rationem. Dat. ut supra. »

145 Orvieto, 4 avril 1282.

Eidem mandat quatinus medietatem decimae primi anni ejus temporis per quod decima ipsa Terrae Sanctae custodiae deputata est Medico Aliotti, Azolino Salvi et Symoni Gerardi, de societate Thomae Spiliati et Hugonis Spinae de Florentia mercatoribus, assignare studeat. — (Reg. 41, fol. 45 v°; ann. II, n° 15.)

« *Eidem.* Ad promotionem negotii Terre Sancte sollicitis studiis intendentes, carissimum in Christo filium nostrum .. regem Scotie illustrem per alias nostras sub certa forma litteras rogamus et hortamur attente ut medietatem decime primi anni ejus temporis per quod decima ipsa predicte Terre custodie a Sede Apostolica extitit deputata, de regno suo permittat libere extrahi, secundum dicte Sedis arbitrium in hujusmodi custodiam convertendam. Cum itaque speramus firmiter quod idem rex apostolicis in hac parte beneplacitis acquiescet, volumus et mandamus tibi quatinus predictam medietatem ipsius decime Medico Aliotti, Azolino Salvi et Symoni Gerardi, de societate Thome Spiliati et Hugonis Spine de Florentia mercatoribus, vel eorum cuilibet presentes litteras deferenti, difficultate submota qualibet integre studeas assignare, de assignatione hujusmodi faciens fieri duo publica instrumenta, quorum alterum penes te retineas, nobis reliquum quamtotius transmissurus. Dat. apud Urbemveterem, II nonas aprilis, anno secundo. »

146 Orvieto, 13 avril 1282.

Abbati et conventui monasterii Sancti Dyonisii in Francia indulget ut, pro domibus et grangiis dicti monasterii, legatis et nuntiis a Sede Apostolica deputatis procurationem aliquam solvere non teneantur, dummodo praedictae domus et grangiae non sint prioratus, neque alias ratione illarum procuratio fuerit persoluta. — (Reg. 41, fol. 45ᵇ; ann. II, n° 16.)

« *Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii Sancti Dyonisii in Francia ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis diocesis.* Spetialis dilectionis affectus. — Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat quod monasterium ipsum nonnullas domos et grangias habere dinoscitur, in quibus ipsius monasterii monachos, tu, fili abbas, pro redditibus et juribus, que in eis predictum monasterium obtinet, conservandis, ponis et exinde removes pro tue libito voluntatis, et in quibus populus non existit quanquam in earum aliqua oratorium habeatur, quasque locorum diocesanorum seu alii ordinarii nullo unquam tempore visitarunt, nec in illis procurationem aliquam receperunt. Nos itaque, vestris devotis supplicationibus inclinati, volentes paci et tranquillitati vestre paterna sollicitudine providere, vobis auctoritate presentium indulgemus ut pro domibus et grangiis supradictis, legatis et nuntiis a Sede Apostolica deputatis vel imposterum deputandis, procurationem aliquam per ejusdem Sedis litteras solvere minime teneamini, dummodo domus et grangie memorate non sint prioratus, nec pro prioratibus habeantur, neque alias ratione illarum hujusmodi legatis seu nuntiis, sive locorum diocesanorum aut aliis ordinariis procuratio fuerit persoluta, et nisi etiam littere dicte Sedis de indulto hujusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum fecerunt mentionem. Nos enim excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias si quas in vos, vel vestrum aliquem, contra tenorem concessionis hujusmodi promulgari contigerit, irritas decernimus et inanes. Nulli ergo nostre concessionis et constitutionis, etc. Dat. apud Urbemveterem, idibus aprilis, anno secundo. »

147 Orvieto, 13 avril 1282.

Eisdem indulget ut per litteras Apostolicae Sedis vel legatorum ejus in quibus archiepiscopi, episcopi, archidiaconi et officiales eorum aut etiam canonici ecclesiarum cathedralium qui pro tempore fuerint judices, conservatores aut executores dati contra monasterium ac membra ipsius, super bonis quae monasterium et membra ipsa infra loca subjecta jurisdictioni eorundem archiepiscoporum et aliorum obtinent, praedicti archiepiscopi et alii procedere minime valeant, absque praedictae Sedis speciali mandato. — (Reg. 41, fol. 45 v°; ann. II, n° 17; — Potthast, n° 21886.)

« *Eisdem.* Sincere devotionis quam —. Dat. ut supra. »

148 Orvieto, 27 avril 1282.

Episcopo Parmensi monet quatinus clerum Reginum ad observationem arbitrii quod inter eundem clerum ex una parte, ac populum et commune Reginos ex altera, fratres Paganus Predicatorum et Giroldus de Mutina Heremitarum domorum fratrum priores ac fratres Guillelmus de Yporeia et Petrus de Bibiano conventuum eorundem domorum lectores reddiderunt, penitus non teneri denuntiet, praedictos populum et commune quod statuta enormia quae contra dictum clerum ediderant de eorum cartulariis abradant, per excommunicationis, privationis feudorum ecclesiasticorum et interdicti sententias compellens ; ac praefatos priores et lectores ut infra unum mensem compareant coram papa citare procuret. — (Reg. 41, fol. 46 ; ann. II, nº 18.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Parmensi.* Adversus detestabiles presumptiones eorum que contra libertatem ecclesiasticam consurgentes eam inique legis gladio satagunt vulnerare vehementer nec immerito solliciti reddimur mucronem excitare apostolice potestatis ut ab hiis resipiscant correcti et pedes suos prohibe a lapsu similium doceantur. Nuper si quidem non sine amaritudine auris nostra percepit quod .. capitaneus, populus et commune Regini, a se abdicata reverentia Crucifixi in cujus obsequio ecclesiasticus ordo consistit, in eundem ordinem manu inique cogitationis extensa in ipsius libertatis subversionem, non sine divine majestatis offensa et ejusdem Sedis ac nostra injuria manifesta nonnulla statuta gravia et enormia edere presumpserunt, videlicet inter alia quod nulla persona jurisdictioni supposita eorundem in domibus ecclesiarum et cleri Regini molendinis quoque ac furnis eorum habitare, et in ipsis molendinis molere, et furnis coquere, vel terras eorum colere, seu secum contrahere, vel eis quicquam vendere vel donare, sive ab ipsis emere, cum eis quoque colloquium vel familiaritatem habere publicam vel privatam, aut comedere, sive stare, vel eis quoquomodo servire, seu subsidium aliquod vel consilium et favorem presumat. Is autem quem horum transgressorem contigerit inveniri pene jaculo feriatur, que in generali contione Regii extitit ordinata, in eorundem ecclesiarum et cleri personales seu reales offensas et alias injurias prorumpendi omnibus libera facultate concessa. Cumque dicti clerus hec et alia, que in derogatione libertatis non sine ausu temerario iidem capituus (*sic*), populus et commune in civitate Regina ordinasse noscuntur, aliquatenus tolerare non possent, verisimiliter pejora timentes que ipsi cotidie minabantur in fratres Paganum, Predicatorum, et Giroldum de Mutina, Heremitarum domorum fratrum priores, ac fratres Guillelmum de Yporeia et Petrum de Bibiano conventuum earundem domorum lectores, tanquam in arbitros, arbitratores seu amicabiles compositores ab hiis discriminibus quibus credebatur dicta civitas subjacere, obviare volentes, compromittere sunt coacti : premissa protestatione, quod hujusmodi compromissum per vim et metum fecerant, volentes personarum et ecclesiarum suarum periculis occurrere, cum non possent propter statuta hujusmodi amplius in eadem civitate morari. Qui demum in grave dicte libertatis prejudicium arbitrari inter cetera presumpserunt, quod clerici de dicto clero, pro habendis eorum decimis que in dicto districtu debentur eisdem aut personaliter vadant, aut alias personas ecclesiasticas mittant, et decimas ipsas ab hiis qui eas dare debuerint, secundum eorum libitum et non aliter, quod juxta consuetudinem antiquam dicte civitatis debere fieri asserunt, recipere sunt contenti, et pro ipsis recuperandis decimis nullum coram quovis judice ad judicium evocabunt, et quod episcopus, synodo convocata, sub pena excommunicationis clerum astringet ad observationem omnium predictorum. Nos igitur, ne premissorum contagium, si veritati deserviunt, super presumptione similium infitiat sinceras mentes fidelium et maxime vicinorum, volentes tam temerariis actibus consilio provisionis debite obviare, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo, monemus quatinus, si tibi de plano et sine strepitu ac figura judicii constiterit de premissis, predictum clerum ad observationem hujusmodi arbitrii denunties penitus non teneri, predictos quoque populum et commune, quod predicta statuta de suis cartulariis prorsus abradant, similia in posterum nullatenus presumpturi, monitione premissa, per excommunicationis in dicti capitanei et omnium consiliariorum ejusdem civitatis personas et privationis etiam feudorum, si qua ab ecclesiis tenent, in civitatem vero et commune premissa interdicti sententias, appellatione postposita, compellens; ac alias contra eos aggravans manum tuam, prout protervia exegerit eorundem, prefatos priores et lectores, quorum temeritatem in tam nepharii arbitrii promulgatione presumptam absque virga correctionis debite nolumus preterire, ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra unius mensis spatium post citationem tuam compareant personaliter coram nobis, suorum super hoc meritorum stipendia recepturi. Diem vero citationis et formam etc. — Dat. apud Urbemveterem, V kal. maii, anno secundo. »

149 Orvieto, 26 avril 1282.

Cum Symon et Johannes canonici ecclesiae Wibergensis

ordinis Sancti Augustini papae mandaverint quod, cum olim ecclesiae ipsi pastoris solatio destitutae capitulum quondam Ascerum ipsius ecclesiae canonicum in episcopum elegisset, Jacobus autem archiepiscopus Lundensis metropolitanus electionem ipsam confirmare contra justitiam recusans, dictorum electi ac capituli ad Sedem Apostolicam appellatione contempta, de fratre Petro ordinis Minorum eidem ecclesiae providisset, ac coram Clemente papa ambae partes aliquandiu processissent, praefato Ascero renuntiante electioni hujusmodi, et Nicolao praeposito ecclesiae de Saliny a capitulo in episcopum electo, tandem Gregorius papa X primo Johannem papam XXI, tunc episcopum Tusculanensem et postmodum Nicolaus III Latinum Ostiensem episcopum ac demum Jacobum Sanctae Mariae in Via Lata diaconum cardinalem concesserunt in negotio hujusmodi partibus auditores; sed dicto Nicolao apud Sedem Apostolicam mortuo, ac Thrugillo praeposito praedictae ecclesiae in episcopum electo, dictus Petrus ipsam ecclesiam violentia occupavit, et praedictum Thrugillum carceri mancipari fecit; mandat episcopo Ripensi quatinus dictum Petrum quod eundem Thrugillum restituat libertati per censuram ecclesiasticam compellat, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis, ac ipsum citare procuret, ut infra sex menses coram papa personaliter compareat. — (Reg. 41, fol. 46 v°; ann. II, n° 19; — Potthast, n° 21892.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Ripensi.* Significarunt nobis dilecti —. Dat. apud Urbemveterem, VI kal. maii, anno secundo. »

150 Orvieto, 30 avril 1282.

Baiamundo de Vitia, canonico Astensi, collectori decimae in regno Scotiae Terrae Sanctae subsidio deputatae, mandat quatinus si rex Scotiae signum crucis assumpserit, ipse totam decimam supradictam, illa parte quam certis mercatoribus Florentinis papa praecepit assignari duntaxat excepta, in tutis locis deponat; si vero praedictus rex memoratum signum non assumpserit, nominatis mercatoribus faciat assignari. — (Reg. 41, fol. 46 v°; ann. II, n° 20.)

« *Baiamundo de Vitia, canonico Astensi, collectori decime in regno Scotie Terre Sancte subsidio deputate.* Litterarum tuarum quas dilecto filio nostro J., Sancte Marie in Cosmydin diacono cardinali misisti series continebat quod pecunia decime regni Scotie in quibusdam locis, ut tuis verbis utamur, minus tute consistit, sed nimis dispersa in locis pluribus, propter quod utile videbatur ut in loco certo et securo deponeretur, vel aliquibus mercatoribus assignaretur decima supradicta : unde qualiter super premissis te gerere debeas edoceri per Apostolice Sedis oraculum postulasti. Porro scire te volumus quod nos ad liberationem predicte Terre plenis affectibus aspirantes, carissimum in Christo filium nostrum .. illustrem regem Scotie per apostolicas litteras quas et per dilectos filios fratres Garnerium et Raynerium de Florentia, ordinis Predicatorum, nuper direximus, excitamus ut in predicte Terre subsidium signum vivifice crucis assumat. Nos itaque, tibi super premissis tenore presentium respondentes, volumus et discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus si prefatus rex signum hujusmodi duxerit assumendum, tu totam decimam supradictam, illa parte decime primi anni quam per alias nostras litteras per te certis mercatoribus Florentinis precepimus assignari duntaxat excepta, in aliquibus tutis locis deponas, ita quod de conservatione illius non sit in aliquo dubitandum. Si vero memoratus rex apostolicis exhortationibus non acquieverit in hac parte, tu, de predicta totali decima parte, deducta prefata, medietatem Berto Mactii, Bindo Hugonis, Tanoro Consilii et Roberto Juncte de societate Circulorum vel alicui seu aliquibus ex eisdem, suo et dicte societatis nomine, quartam vero partem ejusdem decime Johanni Rustici, Rosselino Bacarelli et Johanni Rubei Bacarelli de societate Rossi Bacarelli et Raynutii Abbatis, et aliam quartam Guino Chufagni, Johanni Wlpi et Copo Cotegni, de societate Frescobaldorum de Florentia mercatoribus has litteras deferentibus, vel uni eorum, juxta premissum modum, facias ab hiis penes quos eadem noscitur deposita decima integraliter assignari, contradictores etc. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Sedis ipsius non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem; super assignatione quoque hujusmodi confici facias duo publica instrumenta, quorum alterum penes te retinens, reliquum nobis mittas. Nichilominus nobis quid et quantum et quando mercatoribus ipsis assignari contigerit plenarie per tuas patentes litteras tenorem continentes presentium rescripturus. Dat. apud Urbemveterem, II kal. maii, anno secundo. »

151 Orvieto, 10 mai 1282.

Archidiacono Torcellano mandat quatinus Pantaleonem, patriarcham Constantinopolitanum, a qualibet excommunicationis vel interdicti aut suspensionis sententia, quam idem fortasse incurrit, ad cautelam absolvat. — (Reg. 41, fol. 47; ann. II, n° 21.)

« *Dilecto filio .. archidiacono Torcellano.* Lecta coram nobis venerabilis fratris nostri Pantaleonis patriarche Constantinopolitani petitio continebat quod venerabilis frater noster .. archiepiscopus Cretensis, cui collectio

decime in generali concilio Lugdunensi Terre Sancte subsidio deputate in Cretensi provincia est commissa, pretendens quod idem patriarcha hujusmodi decimam suorum ecclesiasticorum proventuum, quos in ipsa provincia percipit, non duxerat persolvendam, in Lanfrancum archiepiscopum Nisiensem, ipsius patriarche vicarium generalem, nulla monitione premissa, ex arrupto pro sue voluntatis libito excommunicationis sententiam dicitur promulgasse, faciens ipsum excommunicatum publice nuntiari; sed prefatus patriarcha, postquam ad suam notitiam hujusmodi processus pervenit, extimans fore utilius si decime predicte pecuniam nomine dicte Terre apud Sedem Apostolicam faceret exhiberi quam si eam pro dicta Terra ipsi Cretensi archiepiscopo assignaret, maxime quia propter viarum discrimina in ejusdem pecunie missione plura poterant pericula evenire, decem et novem libras, solidos decem et octo, ac denarios quatuor Venetorum grossorum per dilectum filium Thomam dictum Pinum, capellanum nostrum, ad hoc ab eodem patriarcha procuratorem specialiter constitutum, pro satisfactione decime quam idem patriarcha solvere tenebatur de omnibus proventibus suis ecclesiasticis, quos dictus patriarcha in eadem provintia et in aliis partibus Constantinopolitani patriarchatus percipit, ad Apostolicam Sedem transmisit: quam quidem pecuniam idem capellanus dilectis filiis magistris Raynaldo de Castronovo, et Uberto de Placentia, capellanis nostris ad recipiendum legata, obventiones, et alia ipsius Terre deputata subsidio constitutis a nobis in Romana curia nomine ipsius patriarche persolvit in ejusdem Terre subsidium convertendum; quare pro parte ipsius patriarche fuit humiliter petitum a nobis ut, cum prefatus Thomas in ipsius patriarche animam, prout ex tenore procuratorii sibi a dicto patriarcha super hoc concessi poterat, tactis sacrosanctis Evangeliis, proprio firmaverit juramento, quod idem patriarcha pro toto tempore quo hujusmodi decima subventioni predicte Terre concessa extitit, pro rata ipsius decime in provintia et partibus ipsius patriarchatus prefatis patriarcham contingentis predictum per hujusmodi exhibitionem ac solutionem dicte pecunie, plenam satisfactionem et integram duxerit impendendam, provideri sibi quod dubitat occasione negligentie, si quam in. non solvendo in statutis terminis decimam ipsam commisit, aliquam excommunicationis sententiam incurrisse, quanquam ejus ignarus prorsus existat, ad cautelam de absolutionis beneficio mandaremus. Nos itaque, qui cunctorum salutem appetimus, periculis anime ipsius patriarche precavere, necnon et hujusmodi juramento plenam fidem adhiberi volentes discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus eundem patriarcham a qualibet excommunicationis vel interdicti aut suspensionis sententia, quam idem hujusmodi occasione, fortassis incurrit, auctoritate nostra ad cautelam juxta Ecclesie formam absolvas, dispensando cum eo super irregularitate si quam sic ligatus celebrando divina officia vel se immiscendo eisdem noscitur forsitan incurrisse, injuncto ei quod de jure sibi propter hoc fuerit injungendum. Dat. apud Urbemveterem, VI idus maii, anno secundo. »

152 Orvieto, 12 mai 1282.

Raynerio de Orio, canonico Leodiensi collectori decimae in Coloniensi, Bremensi et Magdeburgensi provinciis ac civitate et diocesi Caminensi dudum per Sedem Apostolicam deputato mandat quatinus suffraganeos ac alias ecclesiasticas personas provinciae Magdeburgensis qui decimam subsidio Terrae Sanctae deputatam solvere noluerunt, excommunicatos publice nuntiet et coram papa citare procuret. — (Reg. 41, fol. 47 v°; ann. II, n° 22; — Posse, n° 1078; — Kaltenbrunner, p. 279, n° 244) (1).

« *Raynerio de Orio, canonico Leodiensi, collectori decime in Coloniensi, Bremensi et Magdeburgensi provinciis ac civitate et diocesi Caminensi dudum per Sedem Apostolicam deputato.* In admirationem grandem nec immerito animus noster inducitur quod, sicut ad audientiam apostolatus nostri pervenit, bone memorie C. archiepiscopus Magdeburgensis contra Lugdunensis statuta concilii temere veniens, in provinciali concilio ad hoc, ut asseritur, congregato, de consensu suffraganeorum suorum dicitur statuisse, ne dicti suffraganei vel quevis alia ecclesiastica persona dicte provincie et etiam Magdeburgensis civitatis et diocesis suorum ecclesiasticorum proventuum decimam Terre Sancte subsidio deputatam solvere quoquo modo presumant, et secus facientes excommunicationis et privationis beneficiorum suorum sententias quas ex tunc ipse tam sua quam dicti concilii provincialis auctoritate promulgabat, incurrerent ipso facto, et ab assecutione beneficii alicujus in eisdem provintia, civitate et diocesi fierent penitus alieni, et ex hoc etiam efficerentur infames ad nullos omnino actus legitimos admittendi; sicque hujusmodi tam temerarii statuti pretextu in eisdem provintia, civitate et diocesi non fuit hujusmodi decima persoluta: nos itaque tante temeritatis audatiam nolentes relinquere impunitam, ne aliis ausum prebeat delinquendi, discretioni tue per apostolica

(1) C'est par erreur que la bulle est datée dans cet ouvrage de *Montefiascone*, 10 août.

scripta mandamus quatinus si de plano, et absque strepitu et figura juditii tibi constiterit de premissis, episcopos et alios supradictos latam super hoc in dicto Lugdunensi concilio excommunicationis sententiam denuntians incurrisse, ipsos excommunicatos quousque tibi nostro et ejusdem Terre nomine plenarie satisfecerint de decima supradicta, singulis diebus dominicis et festivis in locis de quibus videris expedire per te vel per alium aut alios, appellatione remota, publice nunties, et facias ab omnibus artius evitari; et nichilominus ipsos ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra duos menses post citationem tuam, episcopi personaliter, alie vero persone per se vel per procuratores ydoneos compareant coram nobis de tante temeritatis excessu quod meruerint recepturi. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceris nobis per tuas litteras, etc. usque : intimare. Dat. apud Urbemveterem, IIII idus maii, anno secundo. »

153 Orvieto, 12 mai 1282.

Eidem mandat quatinus Wedegonem Misnensem episcopum, abbates et alios ecclesiarum prelatos necnon clericos ac abbatissas monasteriorum Misnensis diocesis moneat ut de decima non soluta satisfactionem impendant; ac si forte iidem ipsi non obedirint illos excommunicatos publice nuntiet et demum citare coram papa procuret. — (Reg. 41, fol. 47 v°; ann. II, n° 23; — Posse, n° 1079; — Kaltenbrunner, p. 280, n° 245) (1).

« *Eidem.* Te nuper accepimus —. Dat. ut supra. »

154 Orvieto, 12 mai 1282.

Eidem mandat quatinus Conradum Osnaburgensem episcopum qui decimam subsidio Terrae Sanctae concessam asportavit, ut dictam decimam infra unius mensis spatium collectoribus restituat, moneat, ac si praedictus episcopus rebellis extiterit, eum per se excommunicatum ac suspensum coram papa citare procuret. — (Reg. 41, fol. 48; ann. II, n° 24; — Kaltenbrunner, p. 280, n° 245 (2).

« *Eidem.* Si relata nobis —. Dat. ut supra. »

155 Orvieto, 13 mai 1282.

Eidem mandat quatinus Siffridum, archiepiscopum Coloniensem, qui pecuniam de decima sibi commissam restituere et decimam ipsam solvere recusavit ac tandem a dicto Raynerio de Orio excommunicatus divina officia celebrare praesumit, nisi infra sex menses resipuerit, coram papa citare procuret. — (Reg. 41, fol. 48; ann. II, n° 25; — Posse, n° 1081; — Kaltenbrunner, p. 268, n° 237.)

« *Eidem.* Nuper nobis intimare. — Dat. apud Urbemveterem, III idus maii, anno secundo. »

156 Orvieto, 20 avril 1282.

Thomasio nato Johannis de Sancto Leutio civi Verulano, qui per magistrum Nicolaum de Terracena, capellanum papae, archidiaconum Lexoviensem, examinatorem super hoc deputatum repertus fuit idoneus, tabellionatus officium concedit. — (Reg. 41, fol. 48 v°; ann. II, n° 26.)

« *Thomasio nato Johannis de Sancto Leutio, civi Verulano.* Ne contractuum memoria —. Dat. apud Urbemveterem, XII kal. maii, anno secundo. »

157 Orvieto, 22 mai 1282.

Ranerio de Orio, canonico Leodiensi, collectori decimae in Coloniensi, Bremensi et Magdeburgensi provinciis, mandat quatinus moneat archiepiscopos, episcopos ac alias personas ecclesiasticas partium earundem ac diocesis Caminensis qui minus debito de praedicta decima persolverunt seu alias circa solutionem ipsius impedimentum praestiterunt, ut dictam decimam integre persolvant, et pro impedimento praestito ei satisfaciant; collectores vero ejusdem decimae ut de collectis rationem reddant, ac depositarios ut deposita sua ei exhibeant : illos qui paruerint ab excommunicationum sententiis absoluturus; alioquin ut praedictos ecclesiastica censura percellat, et post unum mensem coram papa citare procuret. — (Reg. 41, fol. 48 v°; ann. II, n° 27; — Posse, n° 1081; — Kaltenbrunner, p. 272, n° 238.)

« *Ranerio de Orio, canonico Leodiensi, collectori decime in Coloniensi, Bremensi et Magdeburgensi provinciis, dudum per Apostolicam Sedem deputato.* Significasti nobis quod eo pretextu quod felicis recordationis Gregorius papa, predecessor noster, in declaratione super modo solvendi decimam Terre Sancte subsidium deputatam facta per ipsum, inquisitionem faciendam circa non solventes decimam ipsam sub certo modo Sedi Apostolice spetialiter reservans, archiepiscopos, episcopos, et abbates, ceterasque personas ecclesiasticas honorabiles non suspectas duxit proprie conscientie relinquendos, ita quod sufficeret quo ad tales excommunicationis sententia que in nullo

(1) Même remarque que pour la bulle précédente.
(2) Même remarque que pour le n° 152.

modo vel scienter minus solventes et adhibentes fraudem et malitiam circa ipsius decime solutionem generaliter proferretur, nonnulli archiepiscopi et episcopi ac alie persone ecclesiastice honorabiles Colonienses, Bremenses et Magdeburgenses et civitatis ac diocesis Caminensis exinde sumentes audatiam nichil de dicta decima, quidam vero ex ipsis minus integre illam de proventibus suis ecclesiasticis solvere curaverunt. Quamplures vero alii archiepiscopi et episcopi, abbates, priores, prelati, rectores et alii clerici ecclesiarum et monasteriorum partium predictarum necnon monasteriorum et ecclesiarum predictorum conventus et capitula pro eo quod dictam decimam de hujusmodi eorum proventibus, vel nullo modo aut scienter non integraliter aut non in constitutis super eodem concilio terminis persolverunt, sive fraudem adhibuerunt circa solutionem ipsius decime faciendam, seu alias prestiterunt impedimentum, quominus ipsa decima solveretur, plerumque latam tam per te quam in eodem concilio in hujusmodi casibus excommunicationis sententiam incurrerunt. Nonnulli etiam ex collectoribus a te super colligendo predicta decima in predictis partibus deputatis de collectis per eos de dicta decima non reddiderunt plenariam rationem, quodque depositarii ejusdem decime in exhibendo tibi ea que apud illos per te vel eosdem collectores fuere deposita se difficiles reddere non verentur. Quare a nobis petiisti humiliter edoceri qualiter procedere debeat in premissis. Nos autem, ardenti desiderio anelantes, quod negotium ipsius decime felicem et optatum consequatur effectum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus in negotio ipso, juxta priorem ipsius G. predecessoris litterarum tenorem diligentia exacta procedens, illos ex archiepiscopis et episcopis ac aliis personis ecclesiasticis partium earundem, cujuscumque status, seu dignitatis existant, quos tibi constiterit per inquisitionem quam tibi super hiis auctoritate presentium committimus faciendam ex probabilibus, seu ex verisimilibus conjecturis, pensatis eorum proventibus, minus debito notabiliter de decima persolvisse, ita quod super hoc merito suspecti debeant deputari, necnon et eos ex archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, prelatis, rectoribus et aliis clericis et ecclesiasticis personis prefatis, quos tibi ob premissas causas hujusmodi excommunicationum sententias constiterit incurrisse, ac collectores et depositarios predictos ex parte nostra efficaciter moneas et inducas ut infra competentem terminum a te prefigendum eisdem, iidem archiepiscopi et episcopi ac alie ecclesiastice persone de proventibus suis hujusmodi decimam integre persolvant et pro hujusmodi impedimento tibi nomine dicte Terre Sancte plenam et debitam satisfactionem impendant; collectores quoque predicti de collectis ab eis tibi reddant plenariam rationem, ac iidem depositarii predicta deposita, sublata difficultate qualibet, infra hujusmodi terminum tibi studeant exhibere; ac nichilominus illos ex personis eisdem qui monitis tuis plene in hac parte paruerint ab excommunicationum sententiis, si quas propter hoc incurrerunt, auctoritate nostra juxta formam Ecclesie absolvas, et dispenses cum eis super irregularitate, si quam contraxerunt predictis ligati sententiis, non tamen in contemptum clavium, divina officia celebrando vel se immiscendo eisdem, injuncto ipsis quod de jure fuerit injungendum. Quod si tales monitis tuis infra premissum terminum parere forte contempserint, archiepiscopos et episcopos ac alias personas prefatas, quod taliter suspectos invenies, auctoritate predicta nominatim ecclesiastica censura percellas. Et si ipsi per unum mensem censuram hujusmodi sustinuerint animis induratis, ipsos ex tunc, et alios excommunicatos, collectores ac depositarios memoratos peremptorie citare procures, ut infra duorum mensium spatium post citationem tuam, per se vel per procuratores ydoneos, compareant coram nobis, nostris super hoc mandatis et beneplacitis parituri ac facturi et recepturi quod justitia suadebit; diem vero citationum et formas et quicquid inde feceris nobis fideliter per tuas patentes litteras harum seriem continentes intimare procures. Ceterum, ut officium tibi in hac parte commissum utilius et efficatius valeas exercere, compellendi auctoritate nostra predictos prelatos, aliasque personas ecclesiasticas illarum partium ad providendum tibi de securo conductu cum super hoc a te fuerint requisiti plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, nonobstante si est aliquibus ab eadem Sede indultum, quod interdici vel excommunicari nequeant vel suspendi. Dat. apud Urbemveterem, XI kal. junii, anno secundo. »

158 Orvieto, 9 juin 1282.

Cum in Aurelianensi ecclesia per obitum Roberti quondam episcopi pastore destituta, nonnulli ex capitulo ejusdem ecclesiae magistrum Guillelmum decanum, de quo dein Atrebatensi ecclesiae tunc vacanti papa providit, reliqui vero Johannem Cenomannensem episcopum, tunc archidiaconum Sigaloniae in supradicta ecclesia, elegissent, magistrum Egidium dictum Pate, tunc praepositum Normanniae in ecclesia Carnotensi, dictae Aurelianensi ecclesiae praeficit in episcopum. — (Reg. 41, fol. 49; ann. II, n° 28.)

« *Dilecto filio magistro Egidio dicto Pate electo Aurelia-*

nensi. Dudum Aurelianensis ecclesia. — Dat. apud Urbemveterem, V idus junii, anno secundo. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Aurelianensis quatinus eidem electo obedientiam et reverentiam debitam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Aurelianensis.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Aurelianensis quatinus ejusdem electi mandatis et monitis intendant. — Dat. ut supra.

In e. mo. vassallis ecclesiae Aurelianensis quatinus ejusdem electi mandatis et monitis intendant, et eidem praestantes fidelitatis juramentum consueta servitia exhibeant et de juribus debitis respondeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. archiepiscopum Senonensem rogat quatinus eidem electo, postquam ad diaconatus et presbyteratus ordines promotus fuerit, consecrationem largiatur. — Dat. ut supra.

In e. mo. regem Franciae rogat quatinus eundem electum et commissam ei ecclesiam regalis benivolentiae gratia prosequatur. — Dat. ut supra.

159 Montefiascone, 27 août 1282.

Regem Franciae rogat quatinus Egidio dicto Paste, quem olim praepositum Normanniae in ecclesia Carnotensi ac capellanum papae Aurelianensi ecclesiae in episcopum papa praefecit, regalia ipsius ecclesiae integre restituat. — (Reg. 41, fol. 49 v°; ann. II, n° 28 *bis* (1).

« *Eidem regi.* Aurelianensi ecclesia olim pastoris solatio destituta nos de dilecto filio Egidio dicto Paste preposito Normanie in ecclesia Carnotensi capellano nostro prefate ecclesie Aurelianensi de fratrum nostrorum consilio duximus providendum et ipsum eidem ecclesie prefecimus in episcopum, prout tibi per alias nostras litteras dudum seriosius duximus intimandum. Rogamus itaque serenitatem regiam et hortamur attente quatinus ipsi electo pro divina et Apostolice Sedis reverentia te reddens affectu benivolum et opere gratiosum regalia ipsi ecclesie que tempore vacationis ejus a te possidere noscuntur ipsi electo integre ac sine difficultate qualibet restituere non omittas, ut idem electus in sui executione officii utilius valeat prosperari, et nos celsitudinem regiam dignis exinde laudum preconiis attollamus. Dat. apud Montemflasconem, VI kal. septembris, anno secundo. »

160 Orvieto, 9 juin 1282.

Magistro Egidio dicto Pate, electo Aurelianensi, quod ad diaconatus et presbyteratus ordines possit promoveri facultatem concedit. — (Reg. 41, fol. 49 v°; ann. II, n° 29.)

« *Magistro Egidio dicto Pate, electo Aurelianensi.* Cum sicut nobis exponere curavisti nondum ad diaconatus et presbiteratus ordines sis promotus, nobis humiliter supplicasti ut tibi super hoc curaremus benignius providere. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ad predictos ordines a quo malueris episcopo gratiam et communionem Apostolice Sedis habente possis te facere statutis temporibus promoveri, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem. Dat. ut supra. »

161 Orvieto, 15 mai 1282.

Archiepiscopo Nidrosiensi, collectori decimae in regno Norwegiae Terrae Sanctae subsidio deputatae mandat quatinus decimam in Islandiae et Feroyum insulis ac Groslandia necnon et Norwegiae regno collectam, Raynutio Runsini, Bartholino Corsi, Raynutio Venturae et Jacobo Taditionis de Sohorcialupi, necnon Thedaldino dicto Mangialmachi, Donato Lamberti, Orlando Cianchocti et Masseo Roscionpelli, de Guiditionis de Luca societatibus, civibus et mercatoribus Lucanis coram ecclesiasticis praelatis assignare studeat super eodem negotio papae rescripturus. — (Reg. 41, fol. 49 v°; ann. II, n° 30; — Potthast, n° 21900.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Nidrosiensi, collectori decime in regno Norweie Terre Sancte subsidio deputate.* Licet tibi dudum. — Dat. apud Urbemveterem, idibus maii, anno secundo. »

162 Orvieto, 13 juin 1282.

Archiepiscopo Ebredunensi et episcopo Vasionensi mandat quatinus Raymondo de Medullione, ordinis Predicatorum, post obitum O. episcopi Vapincensis in ejusdem ecclesiae episcopum electo, licentiam electioni hujusmodi consentiendi concedant. — (Reg. 41, fol. 50; ann. II, n° 31; — *Gall. Christ. novissima*, t. I, Inst. col. 292-293, n° xxviii.)

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Ebredunensi et .. episcopo Vasionensi.* Licet continuata supervenientium. — Sane ex parte dilectorum filiorum .. decani et capituli ecclesie Vapincensis fuit propositum coram nobis quod dudum ecclesia ipsa per obitum bone memorie O. episcopi Vapincensis pastoris solatio destituta, ipsi, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium fratrem Ray-

(1) Cette bulle est écrite en renvoi et en surcharge sur le registre.

mundum de Medullione, ordinis Predicatorum, virum utique providum et honestum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum in episcopum Vapincensem canonice ac concorditer postulando elegerunt et postularunt etiam eligendo. Cumque postmodum iidem decanus et capitulum importune apud eundem fratrem Raymundum instarent ut electioni hujusmodi consentiret, ipse diligenter considerans, quod id absque magistri generalis vel prioris, provincialis dicti ordinis aut Apostolice Sedis licentia speciali, que in hoc non intervenerat juxta tenorem cujusdam privilegii super hoc fratribus ejusdem ordinis ab ipsa Sede concessi fieri de jure non poterat hoc efficere non curavit. Postmodum autem predictis decano et capitulo instanter petentibus a .. priore ipsius ordinis de Proliano tunc vices gerente de mandato predicti magistri prioris provincialis ipsius ordinis in provintia Provintie, in qua ecclesia predicto consistit, et qua tunc hujusmodi priore carebat, ut consentiendi predicte electioni dicto fratri Raymundo licentiam largiretur, idem prior ad hujusmodi importunam instantiam eidem fratri Raymundo, quantum in eo fuit, licentiam tribuit postulatam sibi, nichilominus, quod electioni consentiret prefate in virtute obedientie injungendo, sicque memoratus frater Raymundus suum prestitit hoc adhibito moderamine eidem electioni consensum, videlicet si dictus prior de jure potuerit sibi prefatam concessisse licentiam idque taliter injunxisse. Quare predicti decanus et capitulum de juribus predictorum licentie et mandati, et per consequens consensus ab ipso fratre R. sic prestiti dubitantes nobis humiliter supplicarunt, ut cum predicta ecclesia per ejusdem fratris Raymundi probitatem et circumspectam industriam possit in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernari apostolici favoris super hoc adhibere presidium per quod dictus frater Raymundus, ad ipsius ecclesie regimen, sine aliquo hesitationis scrupulo, assumi licite valeat, paterna diligentia dignaremur. Nos igitur, de circumspectione vestra plenam in Domino fidutiam obtinentes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum, si consideratis circumstantiis que circa hoc fuerint attendende, utilitati ejusdem ecclesie videritis expedire, super quo vestram nolumus conscientiam onerare, memorato fratri Raymundo consentiendi electioni predicte auctoritate nostra plenam licentiam concedatis : non obstante quod post celebrationem electionis predicte tempora infra que electi suis electionibus consentire ac petere ipsarum confirmationem tenentur et super hoc debet ab ipsorum superioribus licentia postulari, contenta in constitutione a felicis recordationis Gregorio papa predecessore nostro edita super hoc in Lugdunensi concilio sunt elapsa, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. apud Urbemveterem, idibus junii, anno secundo. »

163 Orvieto, 3 juin 1282.

Magistro Venturo archipresbitero Clusino, decimae subsidio Terrae Sanctae deputatae certis partibus Italiae collectori, tabellionatus officium magistro Petro de Caffo clerico Pergamensi conferendi concedit facultatem. — (Reg. 41, fol. 50; ann. II, nº 32.)

« *Magistro Venturo, archipresbitero Clusino.* Cum tibi negotium —. Dat. apud Urbemveterem, III nonas junii anno secundo. »

164 Orvieto, 4 juin 1282.

Archiepiscopo Mediolanensi et episcopo Parmensi mandat quatinus potestatem, capitaneum et commune Brixiae auctoritate districta compellant, ut abradant statuta a se nuper edita, inter caetera in Apostolice Sedis injuriam continentia, quod de questionibus inter ecclesiasticas et saeculares personas super decimis motis rectores et officiales communis ipsius cognoscerent. — (Reg. 41, fol. 50 vº; ann. II, nº 33.)

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscpo Mediolanensi et .. episcopo Parmensi.* Ingentis turbationis nobis —. Sinistra siquidem ad nos perduxit relatio quod .. potestas, .. capitaneus et commune Brixie soliti, ut asseritur, multe devotionis circa Romanam Ecclesiam sinceritate vigere, in orcum pravitatis conversi, adversus libertatem consurgentes eandem, in conculcationem ejusdem, Dei offensam et Apostolice Sedis injuriam quedam statuta enormia, quidem admodum et gravia edere continentia inter cetera presumpserunt, quod de questionibus quas super decimis, vel earum pretextu in civitate, et diocesi Brixiensi, inter ecclesiasticas et seculares personas moveri seu agitari contingunt .. rectores et .. officiales ejusdem communis cognoscant libere, ne ab ipsorum processibus vel sententiis valeat appellari, nec etiam aliqua ex personis collegii, ecclesie, vel loci ecclesiastici quorum nomine hujusmodi questiones contra seculares personas moventur, admittatur in testem, quodque occasione alicujus decime a certo tempore in eisdem statutis contento ecclesiis subtracte a collegiis et personis earum possit aliquis laicus conveniri, et contractus inter ecclesiasticas et seculares personas initi super fructibus decimarum sint cassi et irriti, et nullius penitus sint momenti, nisi forsan laici quos hujusmodi contractus contingunt illos

velint in suo robore permanere. Ceterum si aliqua persona aliquid temptare presumpserit contra predicta vel aliquod eorundem, ipsa cum omnibus bonis suis a protectione rectoris et communis Brixie omnino sit exclusa. Quia igitur hec si veritate nitantur, tanto ad ipsorum correctionem fortius sollicitant mentem nostram, quanto frequentius eorum impunitas ad presumptionem similium alios excitaret, ac propterea hujusmodi presumptionis morbo, ne malitie sue aculeos in mentes sinceras infigat, volentes occurrere medicine remedii salutaris, fraternitati vestre per apostolica scripta in virtuto obedientie districte precipiendo monemus quatinus vos vel alter vestrum, vocatis qui fuerint evocandi, si de plano et absque strepitu et figura judicii vobis constiterit ita esse, predictos potestatem, capitaneum et commune quod predicta statuta de suis cartulariis prorsus abradant, similia in posterum nullatenus presumpturi, et quod Brixiensem episcopum quominus in predictis questionibus et aliis articulis contingentibus, possit sui officii debitum exercere nullatenus impedire presumant monitione premissa per excommunicationis in dictorum potestatis et capitanei, ac omnium consiliariorum ejusdem civitatis personas, et privationis etiam feudorum, si qua ab ecclesiis tenent, in civitatem vero et commune premissa interdicti sententias, appellatione postposita, ratione previa, compellatis; alias contra eos aggravaturi manum vestram, prout pretervia exegerit eorundem. Dat. apud Urbemveterem, II nonas junii, anno secundo. »

165 Orvieto, 13 juin 1282.

Priori fratrum Praedicatorum de Urbeveteri mandat quatinus F. episcopo Urbevetano et abbati monasterii Montis Hevil, ordinis sancti Benedicti, Clusini diocesis, permutationis ecclesiae Sanctae Crucis de Cognolo Urbevetanae diocesis pertinentis ad dictum monasterium et ecclesiae Sancti Petri in Vetera prope Urbemveterem ad episcopalem sedem ipsius urbis pertinentis faciendae licentiam largiatur. — (Reg. 41, fol. 51; ann. II, nº 34.)

« *Dilecto filio .. priori fratrum Predicatorum de Urbeveteri.* Ex parte venerabilis —. Dat. apud Urbemveterem, idibus junii, anno secundo. »

166 Orvieto, 17 juin 1282.

Henrici Aberdonensis ecclesiae in episcopum electi sed nondum in sacris ordinibus constituti electionem primo a se cassatam confirmat eundemque Henricum dictae ecclesiae in episcopum praeficit. — (Reg. 41, fol. 51; ann. II, nº 35.)

« *Henrico electo Aberdonensi.* Inter sollicitudines ceteras —. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. julii, anno secundo. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Aberdonensis quatinus eidem Henrico debitam reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero Aberdonensis civitatis et diocesis. — Dat. ut supra.

In e. mo. .. regi Scotiae quatinus eundem favore sua prosequatur. — Dat. ut supra.

167 Orvieto, 15 juin 1282.

Wynctoniensi ecclesia per obitum Nicolai Wintoniensis episcopi vacante, cum capitulum ejusdem ecclesiae ordinis Sancti Benedicti Robertum Bathoniensem et Wellensem episcopum in Wintoniensem episcopum postulaverit, dein autem, postulatione hujusmodi a N. papa non admissa, Riccardi de Lamore archidiaconi per viam compromissi a sex ex eisdem monachis electi electionem acceptaverit et Cantuariensi archiepiscopo praesentaverit, ac per appellationem ad Sedem Apostolicam detulerit, — verum, ab eodem archidiacono resignatione facta, provisionem ejusdem ecclesiae dispositioni Sedis Apostolicae papa reservaverit, Johannem tunc archidiaconum Exoniensem et capellanum papae in Wynctoniensem episcopum praeficit. — (Reg. 41, fol. 51 vº; ann. II, nº 36.)

« *Venerabili fratri Johanni episcopo Wintoniensi.* Romani pontificis quem —. Dat. apud Urbemveterem, XVII kal. julii, anno secundo. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Wintoniensis mandat quatinus dicto episcopo obedientiam et reverentiam debitam impendat. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Wintoniensis.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Wintoniensis. — Dat. ut supra.

In e. mo. Edwardum regem Angliae, qui circa sedem Wintoniensem ab aetate tenera devotionis spiritum habuit, rogat quatinus circa praedictum episcopum gratiam suae benignitatis effundat. — Dat. ut supra. (Potthast, nº 21915.)

168 Orvieto, 15 juin 1282.

Atrebatensi ecclesia per resignationem quondam Petri tunc ipsius episcopi in manibus G. Ambianensis episcopi et Stephani abbatis monasterii Montis Sancti Eligii, ordinis sancti Augustini, Atrebatensis diocesis, et Renaudi ejusdem ecclesie

decani de speciali mandato Nicolai papae factam vacante, cum a capitulo prefatus Stephanus et Henricus de Brayo, ecclesiae predictae canonicus in discordia electi fuissent, dicto Henrico libere omni juri hujusmodi renunciante, dictoque Stephano electioni minime consentiente, eidem Atrebatensi ecclesiae Guillelmum tunc Aurelianensis ecclesiae decanum, praeficit in episcopum ab O. Tusculano episcopo proxime consecrandum. — (Reg. 41, fol. 52 v°; ann. II, n° 37.)

« *Venerabili fratri Guillelmo episcopo Atrebatensi.* Dudum vacante Atrebatensi —. Dat. apud Urbemveterem, XVII kal. julii, pontificatus nostri anno secundo. »

In e. mo. decano et capitulo ecclesiae Atrebatensis quatinus dicto Guillelmo debitam reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Atrebatensis quatinus ejusdem mandatis intendant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassalis Atrebatensis ecclesie quatinus de juribus eidem debitis respondere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. regi Franciae quatinus eundem benivolentiae gratia prosequatur. — Dat. ut supra.

169 Orvieto, 9 juin 1282.

Leodiensi ecclesia per obitam Johannis quondam ipsius episcopi vacante, cum in eadem Guillelmus dictus de Alvernia archidiaconus, et Bouchardus de Hannonia canonicus in discordia electi fuissent, hujusmodi negocio ad Sedem Apostolicam appellatione partium devoluto, ipsisque partibus omni juri sibi ex electione competenti renunciantibus. Johannem, tunc episcopum Metensem, a vinculo quo praedictae Mettensi ecclesiae tenebatur absolvit, eumque ad Leodiensem transferens ecclesiam, ipsi praeficit in episcopum. — (Reg. 41, fol. 53; ann. II, n° 38.)

« *Venerabili fratri Johanni episcopo Leodiensi.* In dispositione ministrorum —. Dat. apud Urbemveterem, V idus junii, anno secundo. »

In e. mo. clero civitatis et diocesis Leodiensis quatinus eidem Johanni debitam reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. capitulo ecclesiae Leodiensis. — Dat. ut supra.

In e. mo. .. archiepiscopo Coloniensi quatinus eundem commendatum habeat. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Leodiensis quatinus ejusdem mandatis intendant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassalis ecclesiae Leodiensis quatinus eidem jura debita exhibere studeant. — Dat. ut supra.

170 Orvieto, 15 mai 1282.

Guardiano fratrum ordinis Minorum de Divione, — cum Hugo natus quondam Hugonis ducis Burgundiae, et Margareta nata quondam Johannis comitis Cabilonensis, ignorantes quod se invicem quarto consanguinitatis gradu contingerent, publice matrimonium contraxerint ac postmodum filios procreaverint et tandem impedimento hujusmodi comperto Apostolicae Sedis misericordiam imploraverint, — committit quatinus, si praedicti Hugo et Margareta juraverint quod tempore contracti matrimonii supradicti impedimentum hujusmodi ignorarent et timeatur de diversis periculis in illis partibus, cum eisdem quod in sic contracto matrimonio remanere licite valeant dispenset. — (Reg. 41, fol. 54; ann. II, n° 39; — Potthast, n° 21901.)

« *Dilecto filio .. guardiano fratrum ordinis Minorum de Divione, Lingonensis diocesis.* Exhibita nobis dilecti —. Dat. apud Urbemveterem, idibus maii, anno secundo. »

171 Orvieto, 15 mai 1282.

Abbati Cistertii mandat quatinus cum Johanne comite Cabilonensi et Margareta nata quondam Hugonis ducis Burgundiae, qui ignorantes quod se invicem quarto consanguinitatis gradu contingerent, publice matrimonium contraxerunt, dispenset quod in dicto connubio licite remanere valeant. — (Reg. 41, fol. 54 v°; ann. II, n° 40.)

« *Dilecto filio abbati Cistertii, Cabilonensis diocesis.* Exhibita nobis nobilis viri Johannis, comitis Cabilonensis et dilecte in Christo filie Margarete nate quondam Hugonis ducis Burgundie petitio continebat, quod olim ipsi ignorantes quod se invicem quarto consanguinitatis gradu contingerent, publice matrimonium contraxerunt nullo super hoc impedimentum aliquod proponente ac carnali postmodum inter eos copula subsecuta, tandem impedimentum hujusmodi est compertum. Quare Johannes et Margareta prefati, habentes exinde conscientias remordentes, super hoc Apostolice Sedis misericordiam implorarunt, et asserentes quod ex separatione hujusmodi matrimonii, si fieret, possent gravia scandala in illis partibus suscitari, ac animarum et corporum diversa pericula evenire, nobis humiliter supplicarunt, ut hujusmodi periculis occurrentes, eum eis quod hujusmodi non obstante in matrimonio remanere licite valeant, dispensare misericorditer dignaremur. Nos autem, qui salutem querimus singulorum et libenter quietem christi fidelibus procuramus, volentes hujusmodi pericula evitare, quia tu de facto et facti conscientiis habere poteris notitiam pleniorem presentium tibi tenore committimus, quatinus si prefata Margareta tactis sacrosanctis Evangeliis prestito corporaliter firmaverit juramento, quod tempore contracti matrimonii supradicti impedimentum

hujusmodi ignorabat, cum idem Johannes Apostolice Sedis apellator constitutus in presentia dilecti filii nostri B. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, diaconi cardinalis super hoc a nobis deputati, juraverit, quod predicto tempore impedimentum ignorabat prefatum, et timeatur de periculis que narrantur, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum eisdem Johanne et Margareta quod, impedimento non obstante predicto, in sic contracto matrimonio remanere licite valeant, auctoritate nostra prout secundum Deum videris expedire dispenses, prolem suscipiendam ex eis legitimam nuntiando. Non obstante indulgentia si qua tibi, fili abbas vel ordini tuo a Sede Apostolica est concessa, etc. ut in proxima superiori. Dat. apud Urbemveterem, idibus maii, anno secundo. »

172 Orvieto, 22 mai 1282.

Priori de Tenebruggo Roffensis diocesis mandat quatinus, pro excessibus a Johanne Lavetor, militem, in praejudicium et contemptum judicum a Sede Apostolica deputatorum commissis, occasione causae que inter Rogonem de Clara, decanum ecclesiae de Staffordia, Conventrensis diocesis, et Walterum, archiepiscopum Eboracensem vertebatur, dictum Johannem coram Papa citare procuret. — (Reg. 41, fol. 55; ann. II, nº 41.)

« *Dilecto filio priori de Tenebrugo, Roffensis diocesis.* Gravem recepimus dilecti filii Rogonis de Clara decani ecclesie de Staffordia, Conventrensis diocesis, cappellani nostri, querelam quod cum dudum in causa que inter ipsum et bone memorie Walterum, archiepiscopum Eboracensem, super eo quod idem archiepiscopus dictum Rogonem ad vacantem ecclesiam de Adelingflet, Eboracensis diocesis, ad quam idem Rogo a dilecta in Christo filio nobili muliere comitissa Gloucestre vera patrona ipsius ecclesie fuerat canonice presentatus admittere contra justitiam denegaverat, vertebatur ad Sedem Apostolicam delata legitime, post diversos auditores a se ipsa in causa deputatos, eadem lite coram eorum aliquo legitime contestata, demum receptio et examinatio testium a dicto capellano nostro producendorum ad causam prefatam pertinentium, dilectis filiis .. decano, .. preceptori et .. thesaurario ecclesie Lincolniensis de assensu procuratorum utriusque partis in forma solita per litteras Sedis ejusdem commisse fuissent, tandem Johannes Lavetor, miles Londoniensis diocesis, in tante temeritatis excessum prorupit, quod .. decani preceptoris et thesaurarii predictorum jurisdictionem immo potius apostolicam in hac parte satagens nequiter impedire preceptorem et thesaurarium prelibatos, pro eo quod ad receptionem et examinationem quorundam de hujusmodi testibus dicto decano Lincolniensi si super hoc excusante processerant, et processum super hoc per eos habitum, quem ob timorem illius, nondum perfecerant, transmittendum ad Sedem Apostolicam sigillis propriis consignarant per Willelmum de Sanham, clericum, Johannem de Vallibus et Rogerum dictum Laveday, milites, illarum partium ausu sacrilego capi fecit et carcerali custodia aliquandiu detineri, sicque dictus capellanus noster, propter hoc simili errore perterritus, fuit exire totum regnum Anglie, ac desistere saltem ad tempus a prosecutione cause hujusmodi non sine gravi predicte Sedis injuria et offensa justitie manifesta coatus (*sic*). Quare pro parte ipsius humiliter petebatur a nobis ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Ne igitur tante presumptionis excessus si remaneat impunitus aliis in similibus malignari delectantibus transeat in pernitiosum exemplum, nos eum cogniventibus oculis pertransire volentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si per ea que ad te fama vel alio modo, jam pervenerunt, aut per non sollempnem indaginem, sed per fidelem pervenerunt, de predictis seu predictorum excessuum consideratis circumstantiis, ubi secundum Deum videbitur, predictum Johannem coram nobis personaliter ob premissa fore citandum, memoratum Johannem ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra duos menses post citationem tuam compareat personaliter coram nobis, super premissis et ea contingentibus recepturus pro meritis et facturus alias quod iustitia suadebit. Diem vero citationis per te faciende ac formam et quicquid de predictis duxeris faciendum per tuas litteras harum seriem continentes, nobis fideliter intimare procures. Dat. apud Urbemveterem, VI° kal. junii, anno secundo. »

173 Orvieto, 13 juin 1282.

Decano et capitulo ecclesiae Rothomagensis concedit ut molestatores ecclesiae suae, usque ad satisfactionem condignum, monitione praemissa excommunicatos facere nuntiari possint. — (Reg. 41, fol. 55; ann. II, nº 42.)

« *Dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Rothomagensis.* Inter ceteras orbis ecclesias quibus nos pretulit divina clementia Salvatoris, Rothomagensis ecclesia uberi favore prosequimur et affectione diligimus speciali. Non enim sumus immemores, quin immo frequenter ad memoriam revocamus, quod ipsa ecclesia nos, dum in minoribus ageremus, maternis tractavit affectibus, provenit gratiis, beneficiis honoravit. Ideoque non indignam

fore cognovimus et conveniens rationi ut circa vos et eandem ecclesiam favor noster exuberet, habundet gratia, dilectio augeatur. Cum itaque sicut nobis exponere curavistis, vos a nonnullis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, super personis et bonis vestris, ac ipsius ecclesie multiplices patiamini molestias et jacturas. Nos volentes vobis et eidem ecclesie, contra conatus et insolentias malignantium providere ac paterne dilectionis affectum quo vos et ecclesiam ipsam prosequimur ostendere per effectum, ut in hujusmodi molestatores vestros notorios et manifestos positis auctoritate nostra competenti, monitione premissa, excommunicationis sententiam promulgare, ac ipsos usque ad satisfactionem condignam excommunicatos facere publice nuntiari auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, etc. nostre concessionis etc. Si quis etc. Dat. apud Urbemveterem, idibus junii, anno secundo. »

174 Orvieto, 17 juin 1282.

Ecclesia Gurcensi per obitum Johannis ipsius episcopi vacante, cum Fridericus Salzburgensis archiepiscopus necnon et supradictae ecclesiae capitulum, reservationis hujus Sedis a domino papa factae ignari, Conradum tunc Ratisponensem decanum elegerint, hujusmodi electione cassata, praefatae ecclesiae dictum Conradum praeficit in episcopum. — (Reg. 41, fol. 55 v°; ann. II, n° 43; — Kaltenbrunner, n° 240.)

« *Conrado electo Gurcensi.* Ex suscepto servitutis —. Datum apud Urbemveterem, XV kal. julii, anno secundo. »

In e. mo. praeposito, decano et capitulo ecclesie Gurcensi, quatinus eidem Conrado debitam reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. archiepiscopo Salzeburgensi quatinus eundem favore sua prosequatur. — Dat. ut supra.

175 Orvieto, 17 juin 1282.

Beneventana ecclesia per obitum Capuferri archiepiscopi pastore vacante, cum capitulum Synibaldum de Alabro, archidiaconum Bononiensem, in archiepiscopum elegerit, postmodum autem eodem Synibaldo recusante major pars dicti capituli in Johannem, tunc monachum monasterii Casinensis, ordinis sancti Benedicti, minor vero pars in magistrum Petrum correctorem litterarum apostolicarum archidiaconum Panormitanum vota sua direxerint, et etiam Thomasius ejusdem ecclesiae canonicus fratrem Jacobum de Alisia, Minorum ordinis nominaverit, electione dicti Johannis per L. Ostiensem et Velletrensem episcopum, H. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyterum et M. Sanctae Mariae in Porticu diaconum cardinales examinata, dictum Johannem in Beneventanum archiepiscopum praeficit. — (Reg. 41, fol. 56; ann. II, n° 44; — Potthast, n° 21916.)

« *Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Beneventano.* Ex suscepte servitutis —. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. julii, anno secundo. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Beneventanae quatinus eidem archiepiscopo reverentiam debitam exhibeant et ejus monita ac mandata devote suscipiant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Beneventanae.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Beneventanae.

In e. mo. universis vassallis ecclesiae Beneventanae quatinus eidem jura debita exhibeant.

In e. mo. suffraganeis ecclesiae Beneventanae mandat quatinus eidem obedientiam et reverentiam debitam exhibeant.

176 Orvieto, 17 juin 1282.

Archiepiscopo Salzeburgensi mandat quatinus Conradum, electum Gurcensem, tunc decanum Ratisponensem, in diaconatus ordine constitutum in sacerdotem promoveat et demum, ascitis secum duobus vel tribus episcopis, ei munus consecrationis impendat. — (Reg. 41, fol. 56 v°; ann. II, n° 45; Kaltenbrunner, p. 277, n° 241.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Salzeburgensi.* Cum dilectum filium —. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. julii, anno secundo. »

177 Orvieto, 9 juin 1282.

Mettensi ecclesiae per translationem J. quondam ipsius episcopi ad Leodiensem ecclesiam vacanti, Bouchardum de Annonia, tunc praepositum Trajectensem suumque capellanum, in episcopum preficit. — (Reg. 41, fol. 57; ann. II, n° 46.)

« *Dilecto filio Bouchardo de Annonia electo Metensi.* Sacrosancta mater ecclesia —. Dat. apud Urbemveterem, V idus junii, anno secundo. »

Orvieto, 13 juin 1282.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Mettensis quatinus eidem episcopo debitam reverentiam exhibeant. — Dat. apud Urbemveterem, idibus junii, anno secundo.

In e. mo. vassalis ecclesiae Mettensis quatinus eidem jura consueta exhibere curent. — Dat ut in proxima.

In e. mo. archiepiscopo Treverensi quatinus eidem se gratiosum exhibeat. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Mettensis quatinus eidem debitam reverentiam et obedientiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. primicerio, decano et capitulo ecclesie Mettensi. — Dat. ut supra.

In e. mo. R. regi Romanorum quatinus eundem benigno favore respiciat. — Dat. ut supra. — (KALTENBRUNNER, p. 272, nº 239, sub d. 9 oder 13 jun.).

178 Orvieto, 17 juin 1282.

Electionem Henrici canonici monasterii Mortariensis, per prepositum soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Papiensis diocesis, in praepositum ipsius monasterii ab Amico de Alexandria, Sancti Laurentii de Yporegia priore, Bonifacio Sanctae Agathae Pontisturiae priore, Jacobo Musca Sanctae Mariae de Castello de Alexandria praeposito, Hugone de Novis ac Thoma de Vercello dicti monasterii canonicis per viam compromissi celebratam, — ipsis plena potestate de praeposito providendi ab Henrico de Lonace priore, Bonifacio de Sancto Salvatore et Manfredo de Novis, ejusdem monasterii canonicis, nomine canonicorum concessa — ratam habet et confirmat. — (REG. 41, fol. 57; ann. II, nº 47.)

« *Fratri Henrico preposito monasterii Mortariensis per prepositum soliti gubernari*, *ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis*, *ordinis sancti Augustini*, *Papiensis diocesis*. Dudum monasterio Mortariensi —. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. julii, anno secundo. »

In e. mo. priori et conventui monasterii Mortariensis, quatinus eidem praeposito debitam reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. potestati, capitaneo, consilio et communi Papiensibus, quatinus eumdem praepositum monasteriumque ejus commendatos habeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. vassalis et hominibus monasterii Mortariensis, quatinus eidem debita jura exhibere curent. — Dat. ut supra.

179 Orvieto, 18 juin 1282.

Archiepiscopo Colocensi et Batiensi ac episcopis Sirmiensi et Chanadiensi mandat ut, cum, Waradiensi ecclesia per translationem Lodomerii episcopi ad ecclesiam Strigoniensem vacante, capitulum ipsius ecclesiae Thomam tunc praepositum ecclesiae Sancti Michaelis de Castroferreo, Jauriensis diocesis, in episcopum elegisset, electio vero hujusmodi propter inhibitionem Philippi episcopi Firmani Apostolicae Sedis legati, confirmata non fuisset, si dictam electionem canonice de persona idonea celebratam invenerint, eandem confirment, et idem archiepiscopus praedicto electo munus consecrationis impendant. — (REG. 41, fol. 58 vº; ann. II, nº 48; — POTTHAST, nº 21917.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Colocensi et Batiensi*, *ac .. Sirmiensi et Chanadiensi episcopis*. Sicut dilecti filii —. Dat. apud Urbemveterem, XIIII kal. julii, anno secundo. »

180 Orvieto, 8 juin 1282.

Archiepiscopo Rothomagensi mandat quatinus Rolando de Ferentino, capellano J. Sanctae Mariae in Cosmidin diaconi cardinalis, rectori ecclesiae Sancti Walerici de Wollectis. Rothomagensis diocesis, quosdam dictae ecclesiae proventus, ab ipso archiepiscopo occasione decimae Terrae Sanctae subsidio deputatae sequestratos, restitui faciat. — (REG. 41, fol. 58; ann. II, nº 48.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Rothomagensi*. Exposuit nobis dilectus filius Rolandus de Ferentino, capellanus dilecti filii nostri J. Sancte Marie in Cosmidin, diaconi cardinalis, rector ecclesie Sancti Walerici de Wollectis tue diocesis, quod tu, occasione decime Terre Sancte subsidio deputate, de proventibus ipsius ecclesie non solute fecisti certam quantitatem eorundem proventuum sequestari, super quo idem R. apostolice Sedis providentiam humiliter imploravit. Cum igitur felicis recordationis G. papa X, predecessor noster, omnes collectores dicte decime a prestatione decimarum de proventibus suis ecclesiasticis pro tempore illo quo circa hujusmodi collectionem vacarent per suas litteras duxerat eximendos et dictus R., sicut idem cardinalis nobis asseruit, in collectione dicte decime commissa sibi auctoritate litterarum Sedis ejusdem, in Anagnina civitate ac diocesi per totum tempus ad collectionem hujusmodi deputatum sollicite laborarit. Nos assertioni cardinalis ipsius fidem plenam adhibentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus proventus eosdem taliter sequestratos eidem Rolando vel ejus procuratori suo nomine facias cum integritate restitui, nullam ei de cetero hac occasione molestiam illaturus. Dat. apud Urbemveterem, VI idus junii, anno secundo. »

181 Orvieto, 13 février 1282.

Radulpho, rectori ecclesiae de Britwelle, Lincolniensis diocesis, concedit ut, defectu natalium non obstante, archidiaconatum Wiltersensem in ecclesia Saresbiriensi accipere valeat. — (REG. 41, fol. 59; ann. II, nº 50.)

« *Magistro Radulpho rectori ecclesie de Britwelle Lincol-*

niensis diocesis. Petitio tua nobis. — Dat. apud Urbemveterem, idibus februarii, anno secundo. »

182 Orvieto, 20 juin 1282.

Ecclesia Barensi, per obitum Johannis ipsius archiepiscopo vacante, cum duae electiones, de Romialdo scilicet dictae ecclesiae canonico et de Petro Saraceno de Urbe, capellano papae, in discordia celebrata fuissent, dicto Petro omni hujusmodi juri renunciante, electionem dicti Romialdi diligenter examinatam confirmat, ipsumque Barensi ecclesiae praeficit in archiepiscopum. — (Reg. 41, fol. 59; ann. II, nº 51.)

« *Dilecto filio Romialdo electo Barensi.* Rationis oculos intuentes. — Dat. apud Urbemveterem, XII kal. julii, anno secundo. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Barensis, quatinus eidem electo debitam exhibeant reverentiam. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Barensis. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo Barensis civitatis et diocesis. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis ecclesiae Barensis quatinus eidem de consuetis juribus respondere studeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis episcopis suffraganeis ecclesiae Barensis quatinus eidem tanquam metropolitano obedire et intendere studeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. C. regi Siciliae quatinus eundem commendatum habeat. — Dat. ut supra.

183 Montefiascone, 2 juillet 1282.

Symoni Petri de Terracena, clerico in minoribus ordinibus constituto, tabellionatus officium, ad quod examinatus idem fuit repertus idoneus, concedit. — (Reg. 41, fol. 59 vº; ann. II, nº 52.)

« *Symoni Petri de Terracena clerico in minoribus ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria —. Dat. apud Montemflasconem, VI nonas julii, anno secundo. »

184 Montefiascone, 18 juillet 1282.

Episcopo Arusiensi mandat ut Wilgrippum praepositum de Roxbo et magistrum Wilgrappum canonicum Arusiensis ecclesiae, quos Bertrandus Arelatensis archiepiscopus, olim canonicus Remensis, qui super colligenda decima in partibus Daciae subsidio Terrae Sanctae concessa dudum a Sede Apostolica exstitit deputatus, in Arusiensi diocesi super hujusmodi decima collectores duxerat ordinandos, sed excommunicaverat quia in reddenda sibi quadam summa pecuniae de praefata decima collecta defecerant, a sententia memorata absolvat. — (Reg. 41, fol. 60; ann. II, nº 53; — Potthast, nº 21919.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Arusiensi.* Exhibita nobis dilecti —. Dat. apud Montemflasconem, XV kal. augusti, anno secundo. »

185 Montefiascone, 15 juillet 1282.

Episcopo Autissiodorensi mandat quatinus negotium electionis Eustachiae de Sancto Verano, monasterii Sancti Juliani Autissiodorensis monialis, in ejusdem monasterii abbatissam, infra sex mensium spatium terminare procuret. — (Reg. 41, fol. 60; ann. II, nº 54.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Autisiodorensi.* Dudum, sicut accepimus, monasterio Sancti Juliani Autisiodorensis, ordinis Sancti Benedicti, abbatisse regimine destituto, quondam Agnes de Artiaco, priorissa, Margareta, cantrix, et alie moniales ejusdem monasterii tunc eidem priorisse adherentes, dilectam in Christo filiam Eustachiam de Sancto Verano ipsius monasterio monialem, suppriorissa vero sibique in hoc adherentes moniales monasterii memorati Reginam ipsius monasterii thesaurariam, ad ejusdem monasterii regimen in discordia elegerunt. Hujusmodi siquidem electionibus bone memorie Guidoni Autisiodorensi episcopo presentatis, et orta inter partes occasione ipsarum electionum materia questionis, et dicta priorissa interim viam universe carnis ingressa, predicta cantrix et alie in hac parte adherentes eidem moniales ejusdem monasterii prefate Eustachie electrices, ab .. abbate monasterii Sancti Mariani Autisiodorensis, cui dictus episcopus hujusmodi causam commiserat auctoritate ordinaria terminandam, postquam aliquandiu coram eo in causa ipsa processum extitit ex certo gravamine ad Sedem Apostolicam appellarunt, et tandem felicis recordationis G. papa X, predecessor noster, post diversos auditores et judices super hoc ab Apostolica Sede concessos, bone memorie .. Senonensi archiepiscopo et .. decano Parisiensi sub ea forma suis dedit litteris in mandatis ut servato legitimo processu in dicta causa coram abbate habito supradicto ante hujusmodi appellationem ab eodem emissam, causam ipsam infra octo mensium spatium post receptionem litterarum ipsarum judicio, vel si de partium voluntate procederet, concordia terminarent, facientes quod decernerent per censuram ecclesiasticam firmiter observari; alioquin causam eamdem instructam remitterent ad ejusdem Sedis examen,

prefixo partibus termino peremptorio competenti, quo per procuratores ydoneas, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis dictam causam contingentibus Apostolico se conspectui presentarent, facture et recepture super hiis quod ordo exigeret rationis. Porro cum comitissa et alie dicti monasterii moniales que super hiis suppriorisse adherebant eidem in certo termino eis prefixo comparuissent propter hoc coram decano predicto et .. cancellario Parisiensis ecclesie, cui predictus archiepiscopus commiserat super hoc totaliter vices suas, tandem ab eis ex certo gravamine ad prefatam Sedem, ut dicitur, appellarunt. Sed Johanna de Melloto, scolastica, et Iolendis de Jaligniaco, monialis monasterii memorati, que tunc suppriorisse adherebant predicte ac una cum ipsa suppriorissa et sibi adherentibus causam prosequebantur eandem, hujusmodi appellationi renuntiarunt expresse, et coram dicto cancellario, cui predictus decanus super hoc commiserat totaliter vices suas, quasdam frivolas exceptiones proponere curaverunt. Verum idem cancellarius easdem exceptiones prout nec debuit non admittens, ac legitime in dicto negotio juxta formam predictarum litterarum memoratis archiepiscopo et decano directarum procedens, quia sibi legitime constitit electionem factum de dicta Eustachia fuisse de persona ydonea canonice celebratam, eam sententialiter suadente justitia confirmavit, sibi administrationem prefati monasterii in spiritualibus et temporalibus committendo, predicta suppriorissa hujusmodi sententiam acceptante. Sed predicta Johanna et Iolendis ab ipsa sententia, et quia exceptiones predictas idem cancellarius non admisit, ad Sedem appellarunt eandem. Postmodum vero dictus predecessor dilectum filium nostrum J. Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem tam in hujusmodi appellationum quam negotii principalis causis concessit partibus auditorem, coram quo in causis ipsis libelli exhibiti, lis super hiis legitime contestata, articuli formati datique fuerunt, et alii processus varii subsecuti. Cum autem prefate comitissa et alie dicti monasterii moniales que suppriorisse adheserant memorate, ducte consilio saniori, predictis appellationibus pro parte ipsarum interpositis, necnon omnibus et singulis causis ex quibus eedem appellationes interjecte fuerant et processibus pro se in eadem causa habitis, ac toti liti omnique actioni, seu juri sibi contra dictam sententiam, seu prefatam Eustachiam ac ejus electionem competenti, sponte ac expresse renuntiantes, ac procuratores causam ipsam apud predictam Sedem prosequentes earum nomine revocantes, nobis per patentes litteras sigillo Autisiodorensis curie sigillatas humiliter supplicarint ut predictam sententiam per quam prefata electio extitit, ut predicitur, confirmata et ipsam electionem dignaremur auctoritate apostolica confirmare. Nos cupientes dictum monasterium quod per decem et octo annos et amplius asseritur jam vacasse et ex vacatione hujusmodi detrimenta gravia pertulisse, a dispendiis que posset in posterum, ex prolixiori vacatione incurrere preservari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, ac de plano et sine juditii strepitu, auditis hinc inde propositis hius negotium infra sex mensium spatium post receptionem presentium, juditio, vel si de partium voluntate processerit concordia terminare procures, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore substraxerint, censura simili, appellatione cernota (*sic*) compescendo verum testimonium perhiberi. Et nichilominus si tibi constiterit de premissis, eidem Eustachie munus benedictionis impendas, si quidem facias a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores etc. Alioquin ex tunc negotium ipsum instructum vel non instructum remittas ad prefate Sedis examen, prefixo partibus termino peremptorio competenti, quo per se vel per procuratores ydoneos cum omnibus actis, juribus et munimentis suis dictum negotium contingentibus apostolico se conspectui representent, facture et recepture super hiis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero remissionis et prefixionis hujusmodi et quicquid inde feceris nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare —. Dat. apud Montemflasconem, idibus julii, anno secundo. »

186 Montefiascone, 31 juillet 1282.

Episcopo Visensi ut de bonis mobilibus ecclesiasticis ejus dispositioni seu administrationi commissis, necnon et quibuscumque bonis mobilibus ab eo per Ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis, testari ac disponere possit, concedit facultatem. — (Reg. 41, fol. 60 v°; ann. II, n° 55.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Visensi.* Quia presentis vite —. Dat. apud Montemflasconem, II kal. augusti, anno secundo. »

187 Montefiascone, 16 novembre 1282.

Cum in monasterio Sancti Gregorii in Clivo Scauri de Urbe, per translationem Bartholomei ipsius monasterii abbatis ad monasterium Sancti Pauli de Urbe vacante, Bartholomeus de Monte Regali, Sancti Gregorii monachus, a dicto abbate Sancti Pauli, a priori et conventu Sancti Gregorii potestate super hoc recepta, per viam compromissi in abbatem electus fuisset,

hujusmodi electionem confirmat. — (Reg. 41, fol. 61; ann. II, nº 56.)

« *Bartholomeo de Monte Regali, abbati monasterii sancti Gregorii in Clivo Scauri de Urbe ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti.* Rationis oculis intuentes. — Dat. apud Montemflasconem, XVI kal. decembris, anno secundo. »

In e. mo. .. priori et conventui monasterii Sancti Gregorii quatinus eidem Bartholomeo debitam obedientiam et reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis monasterii Sancti Gregorii quatinus eidem consueta servitia exhibere curent. — Dat. ut supra.

188 Montefiascone, 16 novembre 1282.

Electionem de Johanne Lateranensis ecclesiae canonico in ejusdem priorem a capitulo celebratam, confirmat, eidemque ecclesiae dictum Johannem praeficit in priorem. — (Reg. 41, fol. 61 vº; ann. II, nº 57.)

« *Johanni priori ecclesie Lateranensis.* Licet ex suscepte. — Dat. ut supra. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Lateranensis quatinus eidem Johanni debitam obedientiam et reverentiam exhibeant.

189 Montefiascone, 16 novembre 1282.

Cum in monasterio Virziliacensi, Eduensis diocesis, per mortem Milonis quondam abbatis vacante, Gaufridus dictus Conestabulus, ipsius monasterii monachus, in abbatem per viam compromissi electus fuisset, hujusmodi electionem confirmat, eidem Gaufrido per .. episcopum Tusculanum faciendo munus benedictionis impendi. — (Reg. 41, fol. 61 vº; ann. II, nº 58.)

« *Gaufrido dicto Conestabulo, abbati monasterii Virziliacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Eduensis diocesis.* Dudum monasterio Virziliacensi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, Eduensis diocesis, per mortem quandam Milonis, olim ipsius monasterii abbatis vacante, ac ejus corpore tradito ecclesiastice sepulture, dilecti filii .. prior et conventus ejusdem monasterii, pulsata campana ad congregandum, et presentibus ac convenientibus in ipso capitulo omnibus qui secundum consuetudinem in eodem monasterio a tempore cujus non extat memoria observatam, voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse ac invocata Spiritus Sancti gratia per viam compromissi procedere eligentes, in dilectos filios fratres Laurentium subpriorem, Petrum tertium priorem, Guillelmum thesaurarium, Gaufridum camerarium, Hugonem cantorem, Girardum granetarium, Guillelmum officialem, et Radulphum olim officialem monasterii supradicti, unanimiter et concorditer compromittere curaverunt, concessa eis providendi hac vice de persona ydonea dicto monasterio de abbate usque ad consumptionem cujusdam candele, propter hoc ibidem accense plena et libera potestate; promittentes quod illum in suum et ipsius monasterii abbatem reciperent et haberent. — Dat. apud Montemflasconem, XVI kal. decembris, anno secundo. »

In e. mo. .. priori et conventui monasterii Virziliacensis, quatinus eidem Gaufrido debitam reverentiam et obedientiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis et hominibus monasterii Virziliacensis quatinus eidem debita servitia exhibere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. .. regi Franciae quatinus eundem monasteriumque ejus benivolentiae suae gratia prosequatur. — Dat. ut supra.

190 Montefiascone, 16 novembre 1282.

Cum in monasterio Sancti Benedicti de Ollano, Cusentinae diocesis, abbatis regimine vacante, per viam scrutinii a Charito, Cosma, Jacobo, scrutatoribus, ejusdem monasterii monachis omnique ejusdem conventu postulatus et electus in abbatem fuisset Gerasimus, tunc Sancti Philippi de Valle Demonis, ordinis sancti Basilii, Messanensis diocesis, monachus, hanc electionem confirmat, dictumque Gerasimum eidem monasterio de Ollano praeficit in abbatem, faciendo ei per O., Tusculanum episcopum, benedictionis munus impendi. — (Reg. 41, fol. 62; ann. II, nº 59.)

« *Gerasimo abbati monasterii sancti Benedicti de Ollano, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Basilii, Cusentine diocesis.* Ex suscepte servitutis. — Dat. apud Montemflasconem, XVI kal. decembris, anno secundo. »

In e. mo. conventui monasterii Sancti Benedicti de Ollano quatinus eidem abbati debitam reverentiam et obedientiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis monasterii Sancti Benedicti de Ollano quatinus eidem debita servitia exhibere curent. — Dat. ut supra.

191 Montefiascone, 16 novembre 1282.

Cum in monasterio Sancti Maglorii Parisiensis, per cessionem Gaufridi olim abbatis vacante, Ludovicus de Monteforti, ejusdem monasterii monachus in abbatem electus fuisset, quibusdam monachis se electioni opponentes, hujusmodi judicio Apostolicae Sedi devoluto, ipsam electionem confirmat, eundemque Ludovicum dicto monasterio praeficit in abbatem. — (Reg. 41, fol. 62; ann. II, nº 60.)

« *Ludovico de Monteforti, abbati monasterii Sancti Maglorii Parisiensis, ordinis sancti Benedicti.* Dudum vacante monasterio Sancti Maglorii Parisiensis, ordinis Sancti Benedicti, per cessionem seu resignationem dilecti filii fratris Gaufridi, olim abbatis monasterii supradicti, dilecti filii .. prior et conventus ipsius monasterii certa die ad eligendum prefixa, vocatis et presentibus omnibus qui voluerunt debuerunt et potuerunt co[m]mode interesse pro futuri substitutione pastoris prout moris est insimul convenerunt, dictaque die in aliam continuata sequentem, eligentes per viam procedere compromissi in dilectos filios fratres Richerum predicti monasterii Johannem de Ausergiis de Calvomonte et Johannem de Monteforti priores, et Petrum camerarium ejusdem monasterii monachos, unanimiter et concorditer compromittere curaverunt, concessa eis providendi hac vice de se ipsis, aut alio de ipsius monasterii gremio existente, dicto monasterio de abbate, usque ad consumptionem cujusdam candele propter hoc ibidem accense, plena et libera potestate; promittentes quod illum in suum et dicti monasterii abbatem reciperent et haberent, de quo iidem compromissarii prefato monasterio in abbatem ducerent providendum. Qui tandem secedentes in partem diversis inter se tractatibus habitis, suisque votis diligenti examinatione discussis, juxta hujusmodi compromissi formam, prefatus prior de Calvomonte suo nomine, ac de collegarum suorum speciali mandato et voluntate expressa, et singulorum de dicto conventu, de te tunc ejusdem monasterii monacho providit, eadem adhuc, candela durante dicto monasterio in abbatem, teque nichilominus elegit in abbatem monasterii supradicti, et tu electioni hujusmodi de te facte ad eorumdem Richeri prioris et conventus instantiam consensisti. Postmodum autem electione predicta per priorem et conventum prefatos bone memorie Stephano Parisiensi episcopo loci ordinario presentata ejusque confirmatione petita cum instantia ab eodem, cum quidam ipsius monasterii monachi electioni prefate se opponere curavissent, demum pro parte tua, ex certis causis, seu gravaminibus, ab eodem episcopo ad Sedem Apostolicam extitit appellatum. Prefate vero electionis negotio per appellationem hujusmodi ad Sedem devoluto predictam, teque ac adverse partis procuratoribus inibi constitutis, et tandem diversis processibus coram diversis auditoribus et judicibus apostolica auctoritate concessis partibus habitis in negotio memorato, nos quia per diligentem examinationem electionis et electe persone invenimus electionem eandem de te persona utique ydonea canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio confirmavimus, preficientes te ipsi monasterio in abbatem, curam et administrationem illius in spiritualibus et temporalibus committendo tibique subsequenter per venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Tusculanum faciendo munus benedictionis impendi; firma concepta fidutia, quod dirigente Domino actus tuos, prefatum monasterium per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur et salubrio dante Domino suscipiet incrementa. Jugum itaque domini reverentia promptus suscipias, et suavi ejus oneri sub humilitatis spiritu colla submittas, prefati monasterii sollicitam curam gerens gregem dominicum in eo tue discretioni commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod per tue diligentie studium monasterium ipsum votivis proficere com[m]odis, et optatis consurgere valeat incrementis. Dat. apud Montemflasconem, XVI kal. decembris, anno secundo. »

In e. mo. priori et conventui monasterii Sancti Maglorii Parisiensis, quatinus eidem abbati debitam obedientiam et reverentiam exhibeant.

In e. mo. .. episcopo Parisiensi quatinus eundem commendatum habeat.

In e. mo. .. regi Francorum quatinus eundem monasteriumque ejus benivolentiae suae gratia prosequatur.

192 Montefiascone, 16 novembre 1282.

Ecclesia Senensi pastore destituta, cum per viam compromissi a Renaldo priore de Monticiano, Renaldum Sanctae Innocentiae ac Salinguerra de Peruina, ejusdem ecclesiae plebanos canonicos, accepto super hoc ex archipresbitero et capitulo; speciali mandato, Renaldus Senensis quoque canonicus in episcopum electus fuisset, ac per .. Ostiensem et Velletrensem episcopum ac Gervasium tituli Sancti Martini presbiterum et Sancti Georgii ad Velum aureum diaconum cardinalis examinatus repertus esset ydoneus, ipsam electionem tanquam canonicam confirmat dictumque Renaldum Senensi ecclesiae preficit in episcopum, faciendo et per O. Tusculanum episcopum munus consecrationis impendi. — (Reg. 41, fol. 63 vº; ann. II, nº 61.)

« *Venerabili fratri Renaldo episcopo Senensi.* Licet con-

tinuata supervenientium. — Dat. apud Montemflasconem, XVI kal. decembris, anno secundo. »

In e. mo. archipresbitero et capitulo ecclesiae Senensis, quatinus eidem episcopo debitam obedientiam et reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Senensis. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Senensis. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis ecclesiae Senensis quatinus de juribus quibus eidem tenentur respondere curent. — Dat. ut supra.

193 Montefiascone, 19 novembre 1282.

Monasterio Ferrariensi per amotionem Adae olim ipsius abbatis vacanti, Johannem de Pontisara, tunc Sancti Dyonisii in Francia monachum, priorem prioratus de Argentolio, praeficit in abbatem. — (Reg. 41, fol. 63 v°; ann. II, n° 62.)

« *Fratri Johanni de Pontisara electo monasterii Ferrariensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Senonensis diocesis.* Dum attente considerationis. — Sane monasterio Ferrariensi ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente ordinis sancti Benedicti, Senonensis diocesis, per ammotionem seu privationem fratris Ade, olim ipsius monasterii abbatis, exigente justitia per nos factam vacante, nos diligentius attendentes quam sit onusta dispendiis et quot et quanta pericula secum trahat ecclesiarum et monasteriorum vacatio diuturna, pensantes quoque grandia tue probitatis merita, honestatem morum, conversationem laudabilem aliasque virtutes quibus personam tuam virtutum Dominus decoravit, de te, tunc monasterii Sancti Dyonisii in Francia monacho, priore prioratus de Argentolio, Parisiensis diocesis, eidem monasterio Ferrariensi de fratrum nostrorum consilio duximus providendum, teque ipsi monasterio preficimus in abbatem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes. — Dat. apud Montemflasconem, XIII kal. decembris, anno secundo. »

In e. mo. priori et conventui monasterii Ferrariensis quatinus eidem abbati debitam reverentiam et obedientiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vasallis et hominibus monasterii Ferrariensis quatinus de juribus ac servitiis eidem debitis respondere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. .. episcopo Carnotensi quatinus eidem auctoritate apostolica munus benedictionis largiatur, postmodum ab eodem juxta formam quae ipsi sub bulla domni Papae mittitur interclusam solitae recepturus fidelitatis juramentum. — Dat. ut supra.

194 Montefiascone, 22 novembre 1282.

Antibarensi ecclesia per obitum T. ipsius archiepiscopi vacante, cum, postquam, diversis temporibus, celebratis electionibus multiplicibus, postmodum electis ante confirmationem obtentam defunctis vel renuntiantibus, capitulum Zetae ac Natali canonicis ipsius ecclesiae providendi de pastore potestatem concessisset, dicti canonici de Michaele tunc canonico Catharensi providerint, praefatus vero Michael juri ex electione hujusmodi sibi competenti sponte in manibus episcopi Albanensis renuntiaverit, — tamen eundem Michaelem regi Serblie, clero et populo Antibarensi acceptum, dictae ecclesiae in archiepiscopum praeficit, faciens ei per .. episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi. — (Reg. 41, fol. 64; ann. II, n° 63; — Potthast, n° 2195.)

« *Michaeli archiepiscopo Antibarensi.* Ex suscepte servitutis —. Dat. apud Montemflasconem, X kal. decembris, anno secundo. »

In e. mo. archidiacono et capitulo ecclesiae Antibarensis quatinus eidem archiepiscopo obedientiam et reverentiam debitam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis Antibarensis quatinus ejusdem archiepiscopi monitis et mandatis obediat. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis suffraganeis ecclesie Antibarensis quatinus eidem archiepiscopo obedientiam et reverentiam debitam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. regi Serbie illustri quatinus eidem archiepiscopo auxilium et favorem exhibeat. — Dat. ut supra.

195 Montefiascone, 16 novembre 1282.

Cum ecclesia Aprutina per obitum Raynaldi ipsius episcopi vacante, per viam scrutinii a capitulo Alexander de Verulis ordinis Minorum, tunc ecclesiae Sancti Erasmi Verulani canonicus, in Aprutinum episcopum electus fuisset, sed huic electioni minime consentire voluisset, ac postea Rogerius, dicte Aprutinae ecclesiae praepositus per viam compromissi a Luca abbate saeculari ecclesiae de Malatina, Angelo Sanii et Tomasio de Ripa, Aprutinae ecclesiae canonicis, accepta super hoc ex capitulo speciali licentia, in episcopum postulatus et electus fuisset, hujusmodi electionem confirmat, ipsumque Rogerium Aprutinae ecclesiae praeficit in episcopum, faciendo eidem per .. Tusculanum episcopum munus consecrationis impendi. — (Reg. 41, fol. 64 v°; ann. II, n° 64.)

« *Rogerio episcopo Aprutino.* Dudum Aprutina ecclesia —.

Dat. apud Montemflasconem, XVI kal. decembris, anno secundo. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Aprutinae quatinus eidem Rogerio debitam obedientiam et reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis ecclesiae Aprutinae. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis ecclesiae Aprutinae quatinus ejusdem episcopi mandatis intendant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis ecclesiae Aprutinae vassallis quatinus de juribus eidem debitis respondere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. C. regi Siciliae, quatinus eundem Rogerium ecclesiamque ejus commendatos habeat. — Dat. ut supra.

196 Orvieto, 23 décembre 1282.

Bartholomeo Odae de Sancto Laurentio, clerico in minoribus ordinibus constituto, Ferentinate diocesis, qui per magistrum Nicolaum de Terracena capellanum papae, archidiaconum Lexoviensem, examinatorem super hoc deputatum, fuit repertus idoneus, tabellionatus officium concedit. — (Reg. 41, fol. 65; ann. II, nº 65.)

« *Dilecto filio Bartholomeo Ode de Sancto Laurentio, clerico in minoribus ordinibus constituto Ferentinate diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. apud Urbemveterem, X kal. januarii pontificatus nostri, anno secundo. »

In e. mo. Johanni Luce Martini de Sancto Victore, terrae monasterii Casinensis clerico in minoribus ordinibus constituto. — Dat. ut supra.

In e. mo. Adae Gontheri de Bulliaco, clerico in minoribus ordinibus constituto Atrebatensis diocesis. — Dat. ut supra.

197 Orvieto, 16 janvier 1283.

Guillelmum abbatem monasterii Cerasiensis, ordinis sancti Benedicti, Baiocensis diocesis, qui promiserat prout moris est, quod apostolorum limina singulis bienniis visitaret, licet idem monasterium privilegium exceptionis non habeat, a juramento super hoc praestito absolvit. — (Reg. 41, fol. 65 vº; ann. II, nº 66.)

« *Guillelmo abbati monasterii Cerasiensis ordinis sancti Benedicti, Baiocensis diocesis.* Ex parte tua —. Dat. apud Urbemveterem, XVII kal. februarii, anno secundo. »

198 Montefiascone, 30 octobre 1282.

Ecclesia Placentina per obitum Petri quondam episcopi vacante, postulatione a capitulo dictae ecclesiae de S. episcopo Gadicensi facta, eisdem capitulo et ecclesiae de episcopo providendi facultatem remittit. — (Reg. 41, fol. 65 vº; ann. II, nº 67.)

« *Dilectis filiis capitulo Placentino.* Presentatam nobis ex —. Dat. apud Montemflasconem, III kal. novembris, anno secundo. »

199 Montefiascone, 5 décembre 1282.

Johanni de Estoutevilla, capellano suo, canonico Baiocensi, indulget ut, si eum ecclesiam de Wankefeudo aut medietatem ecclesiae de Equinto, quas virtute cujusdam privilegii Innocentii papae quarti legitime receperat, resignare contigerit, aliud ecclesiasticum beneficium licite recipere et retinere valeat. — (Reg. 41, fol. 65 vº; ann. II, nº 68.)

« *Magistro Johanni de Estoutevilla, capellano nostro, canonico Baiocensi.* Petitio tua nobis exhibita continebat quod felicis recordationis Innocentius papa quartus predecessor noster olim duxit tibi auctoritate apostolica indulgendum, ut liceret tibi duo ecclesiastica beneficia, etiam si curam animarum haberent et dignitas alterum eorum existeret, si tibi canonice offerrentur, recipere ac libere retinere generalis concilii constitutione super hoc edita non obstante. Tuque postmodum ecclesiam de Wankefeudo Eboracensis et medietatem ecclesie de Equinto Lichefeldensis diocesum curam habentes animarum annexam canonice tibi oblatas quas obtines recepisti. Nos itaque volentes personam tuam ob tuorum exigentiam meritorum prosequi gratiose, ut si ecclesie de Wankefeudo et medietatis predictarum alteram te resignare contigerit aliud ecclesiasticum beneficium similem curam habens etiam si dignitas fuerit loco illius quam resignaveris, canonice tibi oblatum recipere ac tenere licite cum reliqua valeas, constitutione non obstante predicta, seu quod in Rothomagensi et Aurelianensii ecclesiis canonicatus et prebendas dinosceris obtinere tibi auctoritate presentium indulgemus, proviso quod hujusmodi beneficia debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis, etc. —. Dat. apud Montemflasconem, nonis decembris, anno secundo. »

200 Montefiascone, 4 novembre 1282.

Episcopo Vatiensi, cum vacante praepositura ecclesiae Sancti Petri de Veteri Buda Vesprimiensis diocesis per resignationem Johannis archiepiscopi tunc electi Colocensis, capi-

tulum ejusdem ecclesiae Gerardum, canonicum Albensem in praepositum elegisset, atque a capitulo Strigoniensi, vacante Sede Strigoniensi, ad Philippum episcopum Firmanum, Apostolicae Sedis legatum, a dicto vero episcopo ad Sedem Apostolicam hujusmodi electionis confirmatione remissa, dictum negotium C. titulo Sanctorum Petri et Marcellini presbytero cardinali commissum fuisset, mandat ut dictam electionem si eam de persona idonea canonice celebratam invenerit confirmet. — (Reg. 41, fol. 65 v°; ann. II, n° 69; — Potthast, n° 21941.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Vatiensi.* Fuit ab olim —. Dat. apud Montemflasconem, II nonas novembris, anno secundo. »

201 Montefiascone, 11 décembre 1282.

Gerardo preposito ecclesiae Sancti Petri Casletensis, Morinensis diocesis, capellano suo indulget ut praeter praepositurам ecclesiae Sancti Petri Casletensis curam animarum habentem ac canonicatus et prebendas quos in Cameracensi et Senogiensi, Cameracensis diocesis, ecclesiis obtinet, unicum personatum vel dignitatem sine cura in Cameracensi vel Leodiensi ecclesiis libere recipere ac retinere valeat. — (Reg. 41, fol. 66; ann. II, n° 70.)

« *Gerardo preposito ecclesie Sancti Petri Casletensis, Morinensis diocesis, capellano nostro.* Ut favorem quo —. Dat. apud Montemflasconem, III idus decembris, anno secundo. »

202 Orvieto, 8 janvier 1283.

Archipresbytero majoris ecclesiae, priori Praedicatorum et Guardiano Minorum fratrum Mediolanensibus, cum, monasterio monialium Sancti Petri de Brugola, ordinis sancti Benedicti, Mediolanensis diocesis, abbatissae regimine destituto, priorissa et conventus ac Gasparus conversus ejusdem monasterii Sophiam de Casate dicti monasterii monialem in abbatissam elegerint, mandat quatinus, non obstante quod papa hujusmodi negotii examinationem G. tituli Sanctae Susannae presbytero cardinali commiserit, si eis constiterit quod dictum monasterium ad Romanam Ecclesiam nullo mediante pertineat, ac hujusmodi electionem invenerint de persona idonea canonice celebratam, dictam electionem confirment. — (Reg. 41, fol. 66; ann. II, n° 71; — Potthast, n° 21966.)

« *Dilectis filiis .. archipresbytero majoris ecclesie, .. priori Predicatorum et .. guardiano fratrum Minorum Mediolanensibus.* Dudum monasterio monialium —. Dat. apud Urbemveterem, VI idus januarii, anno secundo. »

203 Montefiascone, 22 novembre 1282.

Inquisitoribus hereticae pravitatis in civitate ac diocesi Florentina constitutis mandat quatinus, si quis a retrotemporibus invenitur hereticus extitisse, bonaque quondam ipsius, suo crimine non detecto, ad bonae fidei possessores transiverint, ad talium bonorum revocationem ad praesens minime procedant. — (Reg. 41, fol. 66 v°; ann. II, n° 73.)

« *Inquisitoribus pravitatis heretice in civitate ac diocesi Florentina constitutis.* Tradite vobis virtutes —. Verum ex parte dilectorum filiorum .. potestatis, consilii et communis Florentinorum fuit propositum coram nobis, quod ex eo inibi videtur generari scandalum, et posset gravius suscitari, quod si quis a retrotemporibus invenitur hereticus extitisse, bona quondam ipsius que suo crimine non detecto nec contra ipsum aliqua inquisitione speciali pendente, quocumque alienationis vel concessionis titulo forte distraxit, etiam si per plures munus interdum res sic alienata vel concessa transiverit a bone fidei possessoribus, dicitis evocanda. Quamvis autem a predecessoribus nostris Romanis pontificibus extiterit diffinitum, quantum ad presentem articulum debere servari, quod observatur in lese crimine majestatis, nec in hac parte recedamus a vestigiis eorundem, volumus tamen et per apostolico vobis scripta mandamus quatinus ad revocationem talium bonorum in civitate ac diocesi Florentine minime procedatis ad presens, nisi forsan intervenisse constiterit fraudem vel malitiam propter quam merito sit ad revocationem hujusmodi procedendum, vel nisi alienator alienationis hujusmodi tempore, de pravitate heretica infamatus fuerit publice vel suspectus —. Dat. apud Montemflasconem, X kal. decembris, anno secundo. »

204 Orvieto, 11 janvier 1283.

Archiepiscopo Rothomagensi mandat quatinus, cum undecim millia librarum Turonensium quae dudum papa tunc in Gallia legatus in domo Parisiensi Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani deposuerat a Johanne de Isca tunc fratre dictae domus subreptae fuissent, priori dicti Hospitalis in Francia super medietate dictae pecuniae usque ad instans festum Nativitatis beati Johannis Baptistae ac super medietate reliqua usque ad aliud festum Nativitatis ejusdem sancti proximo secuturum integre persolvendis indutias concedat. — (Reg. 41, fol. 66 v°; ann. II, n° 74.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Rothomagensi.* Et si cunctos. — Sane dilectus filius .. prior Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in Francia nuper nobis inti-

mare curavit quod undecim milia librarum Turonensium, que nos olim in minori officio constituti et legationis fungentes officio in partibus Gallicanis, de pecunia decime Terre Sancte subsidio deputate a nonnullis personis et locis exemptis partium illarum collecta in domo Parisiensi Hospitalis ejusdem fidutialiter duximus deponenda, et que, sicut ejusdem prioris habet assertio, frater Johannes de Isca, tunc unus ex fratribus dicte domus, infideliter agens et cecitate cupiditatis obductus, furtive subripuit et ad partes remotiores aufugit, instanter a priore ipso exigis nomine dicte Terre. Quare memoratus prior nobis humiliter supplicavit ut cum ad tantam quantitatem pecunie persolvendam ad presens nequaquam sufficiat, nisi prius illam, non absque gravi ejusdem Hospitalis dispendio, recipiat sub usuris, nos sibi et Hospitali predicto specialem gratiam fatientes super solutione hujusmodi facienda indutias illi concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, diligenti meditatione pensantes quod Hospitale prefatum, a longis retrotemporibus speciali utique nobis affectione dilectum, favorem plurimum magnumque prebet auxilium Terre Sancte, quodque ipsius Hospitalis fratres non sine magnis sumptibus gravibusque personarum periculis in ultramarinis partibus contra hostes fidei prelium Domini preliantur, considerantes quoque quod status negotii dicte Terre, cum in ipso sicut non sine dolore referimus, nimis negligenter a fidelibus procedatur urgente necessitate, non exigat ut idem prior impresentiarum in tante pecunie solutione gravetur, ipsius devotis supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus eidem priori super medietate pecunie supradicte usque ad instans Nativitatis festum beati Johannis Baptiste ac super medietate reliqua dicte pecunie usque ad aliud festum Nativitatis ejusdem sancti proximo secuturum integre persolvendis indutias auctoritate nostra sine difficultate concedas, recepta prius a memorato priore ydonea cautione quod in hujusmodi terminis predicte pecunie quantitatem tibi ejusdem Terre nomine cum integritate persolvet; nec interim illum hujusmodi occasione molestes, neque per alium facias molestari, sic te in hoc efficaciter dirigens, ut tue devotionis prompte sinceritas dignis exinde occurrat in Domino laudibus attollenda. Quod autem in hac parte feceris, nobis per tuas patentes litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Dat. apud Urbemveterem, III idus januarii, anno secundo. »

205 Montefiascone, 8 novembre 1282.

Henrico de Sancto Lupo monacho monasterii Ferrariensis indulget ut redditus prioratus de Perso usque ad quinquennium percipere valeat. — (Reg. 41, fol. 67; ann. II, nº 75.)

« *Dilecto filio fratri Henrico de Sancto Lupo, monacho monasterii Ferrariensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Senonensis diocesis.* Probitatis tue merita quibus juvari diceris, ac labores quos pro negotiis monasterii Ferrariensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Senonensis diocesis, nosceris subiisse, non immerito attendentes, ac propter hoc personam tuam volentes prosequi favore gratie specialis, tuis supplicationibus inclinati, ut a domo que prioratus de Perso vocatur dicti monasterii Ferrariensis, quam oratorium, sicut asseris, proprium non habentem et solitam per unum ipsius monasterii monachum gubernari te proponis canonice assecutum, cujusque redditus et proventus summam quadraginta librarum parisiensium non excedunt, a nemine usque ad quinquennium amoveri, sed predictos ipsius redditus et proventus percipere valeas, tam in ipso monasterio quam scolasticis disciplinis insistens in loco ubi vigeat studium generale, auctoritate tibi presentium indulgemus, nisi tale quid, quod absit, commiseris, propter quod esses a domo ipso merito amovendus. Nulli ergo etc., nostre concessionis etc. Dat. apud Montemflasconem, VI idus novembris, anno secundo. »

206 Orvieto, 9 janvier 1283.

Priori Praedicatorum et Guardiano Minorum Lugdunensibus mandat quatinus archiepiscopum, decanum et capitulum Lugdunensis ecclesiae, jamdudum inter se super quibusdam articulis litigantes, infra sex ebdomadarum spatium coram Apostolica Sede citare procuret. — (Reg. 41, fol. 67; ann. II, nº 76; — Potthast, nº 21968.)

« *Dilectis filiis .. priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Lugdunensibus ac .. decano Viennensi.* Sicut ad nostrum pervenit auditum olim felicis recordationis Gregorius papa X^us predecessor noster pretendens quod inter venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum ex parte una et dilectos filios .. decanum et capitulum Lugdunenses necnon Hugonem Senescalcum ac Henricum de Vilars canonicum, tunc cantorem ecclesie Lugdunensis ex altera querele erant super diversis articulis excitate, et quod partes se super querelis et questionibus quibuscunque quas habebant et habere poterant ad invicem de alto et basso ipsius predecessoris voluntati, mandato seu ordinationi omnimode ac declarationi seu interpretationi vel sententie fide hinc inde prestita

sub certa forma submiserant spontanea voluntate, et tam auctoritate apostolica quam ex viribus submissionis ejusdem procedens super temporali seu seculari jurisdictione civitatis Lugdunensis ac ejus exercitio declaravit, ordinando providit et providendo ordinavit decrevit atque statuit, reservata sibi expresse in premissis omnibus interpretandi, mutandi et detrahendi sicut expedire videretur plena et libera potestate, prout in litteris ipsius predecessoris inde confectis plenius dicitur contineri. Et postmodum cum hujusmodi declaratio, ordinatio, provisio atque statutum non solum redundare in enormem ipsius ecclesie lesionem, verum etiam prejudicare juri personarum presertim ipsius decani et .. archidiaconi, senescalci et .. camerarii ejusdem ecclesie dicerentur, pie memorie Johannes papa predecessor noster ad devotam supplicationem eorumdem decani et capituli eumdem archiepiscopum per vos sub certa forma citari mandavit ut coram eo certo termino compareret, super premissis declaratione, ordinatione, provisione ac statuto et singulis contentis in illis auditurus ordinationem, interpretationem, provisionem et mandatum ejusdem predecessoris Johannis, ac facturus et recepturus et etiam processurus super hiis quantum justitia seu equitas suaderet et dicto predecessori Johanni expediens videretur; fecit insuper dicto archiepiscopo inhiberi ne, hujusmodi negocio pendente, taliter coram eo aliquid novi in eorumdem decani et capituli ac personarum prejudicium attemptaret. Sicque comparentibus partibus coram predicto predecessore Johanne fuit super ipso negotio inter partes apud Sedem Apostolicam disceptatum; sed prefato predecessore Johanne dum idem negotium sic coram eo ceptum penderet viam universe carnis ingresso, dictoque archiepiscopo de Romana curia recedente, remansit dictum negotium indecisum. Et tandem nos, percepto quod inter archiepiscopum et decanum et capitulum et alios predictos non conquiescunt concertationes hujusmodi, sed potius dispendiose concrescunt, ac decano et capitulo prefatis asserentibus quod supradictus archiepiscopus post inhibitionem predictam contra homines villarum ac terrarum ad capitulum prefatum pleno jure immediate spectantium per destructionem bonorum et alias etiam injuriose processit et dictum capitulum ac personas predictas in suis jurisdictionibus et libertatibus ac in eorum et subditorum suorum personas perturbat multipliciter et molestat, ac petentibus sibi per sedem apostolicam provideri et in negotio prefato procedi, dilectis filiis nostris J. tituli sancte Cecilie presbitero et J. sancte Marie in Cosmidin diacono cardinalibus negotium predictum sub certa forma duximus committendum, qui quidem cardinales memoratum archiepiscopum in audientia publica citari fecerunt, sed quodam non cum sufficienti mandato ad premissa, nisi ad impetrandum, contradicendum ac proponendum certas querelas procuratore pro ipsius archiepiscopi (*sic*) comparente, non fuit ulterius in negotio predicto processum. Attendentes igitur premissa et alia que pro parte dictorum decani et capituli referuntur et considerantes quod dictus procurator asseruit inter alia decanum et capitulum eadem in ejusdem archiepiscopi prejuditium et contemptum, sine causa rationabili a divinorum celebratione cessasse et cessare; cupientes quoque quod ecclesie prefate quam inter alias oculo benigno respicimus et in memoria retinemus salubriter consulatur ne diutius sub litigiorum anfractibus conquassetur, districte vobis per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios predictum archiepiscopum et eosdem decanum et capitulum ac personas, si eorum presentiam com[m]ode habere poteritis, alioquin prefatum archiepiscopum et alios apud eandem ecclesiam vel memoratum archiepiscopum apud castrum Petre Cise, ubi consuevit ut dicitur commorari, ex parte nostra peremptorie citare curetis ut infra sex ebdomadarum spatium post citationem hujusmodi cum omnibus juribus, actis et munimentis suis predictum negotium contingentibus per se vel per procuratores ydoneos apostolico se conspectui representent super predictis interpretatione, mutatione ac detractione ordinationem, provisionem et mandatum nostra audituri ac etiam recepturi et facturi super omnibus aliis supradictis et ea contingentibus quod justitia seu equitas suadebit et nobis videbitur expedire, mandantes nichilominus archiepiscopo et decano ac capitulo et aliis supradictis quod nullam interim faciant indebitam novitatem. Diem autem citationis et formam et quicquid in premissis duxeritis faciendum nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis, non obstantibus indulgentiis quibus vobis, filii Prior et Guardiane, vel ordinibus vestris a predicta Sede dicitur esse concessum quod non teneamini vos intromittere de negotiis que vobis a Sede committuntur eadem nisi in eis de concessione hujusmodi mentio habeatur. Dat. apud Urbemveterem, V idus januarii, anno secundo. »

207 Montefiascone, 13 novembre 1282.

Bouchardo, electo Metensi concedit ut praeposituram Leodiensem, ad quam electus fuerat, obtineat, ipsamque ac praeposituram Trajectensem et prebendas ecclesiarum Cameracensis, Senogiensis et Sanctae Mariae Trajectensis, quas promotionis sue tempore obtinebat, licite retinere valeat. —

(Reg. 41, fol. 68; ann. II, nº 77; anal. dans Kaltenbrunner, p. 281, nº 248.)

« *Bouchardo electo Metensi et .. preposito ecclesie Leodiensis.* Vacante dudum prepositura ecclesie Leodiensis per obitum quondam Johannis ipsius ecclesie prepositi, dilecti filii capitulum ejusdem ecclesie ad quos electio prepositi ecclesie predicte pertinere dicitur, te ac quondam Willelmum de Peterssen in ecclesie predicte prepositum in discordia elegerunt; et tandem negotio electionum hujusmodi per appellationes ad Sedem Apostolicam devoluto, felicis recordationis Nicolaus papa predecessor noster negotium ipsum sub certa forma commisit dilecto filio nostro J. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, coram quo fuit aliquandiu litigatum; sicque negotio predicto pendente, dictus Willelmus viam est universe carnis ingressus. Nos autem, conditiones Metensis ecclesie, que diversarum dignitatum insignita titulis ab irruentibus in ipsam graves molestias diutius pertulit et quam affectam dispendiis per tue circumspectionis industriam a noxiis excuti, ab adversis protegi, et in sui prosperi status reintegratione conservari et tuis adjutam virtutibus auxiliisque suffultam gratis Deo et nobis prosperitatibus adaugeri speramus, specialis caritatis affectibus advertentes, et tuo ac ipsius ecclesie statui quibus possumus remediis occurrere cupientes, ut quanto te a nobis gratiosius honorari perspexeris, tanto ferventius ad ejusdem ecclesie com[m]oda procuranda concrescas, preposituram eandem curam animarum habentem cum omnibus juribus et pertinentiis suis de novo apostolica tibi auctoritate conferimus, providemus de illa, teque per nostrum anulum investimus presentialiter de eadem, et cum preposituram ecclesie Trajectensis ac prebendas quas in eadem Leodiensi, et in Cameracensi, ac Senogiensi, et Sancte Marie Trajectensis ecclesiis promotionis tue tempore obtinebas, per alias nostras litteras tibi sub certa forma duximus reservandas, nichilominus personam tuam ampliori gratia prosequentes, ut predictam preposituram prefate Leodiensis ecclesie licite retinere, ac ipsius fructus, redditus et proventus ex nunc, etiam postquam fueris in episcopum consecratus, ubique cum ea integritate percipere valeas, cotidianis distributionibus duntaxat exceptis, cum qua illos perciperes si personaliter in dicta prepositura memorate Leodiensis ecclesie resideres nec interim ad residendum ibidem a quoquam compelli possis invitus, auctoritate tibi presentium indulgemus: ita videlicet quod quantum ad predictas preposituram Trajectensem et prebendas Cameracensem, Senogiensem et Sancte Marie Trajectensis ecclesiarum predictarum, litterarum nostrarum tenore servato, predictas preposituram et etiam prebendam Leodiensem, ut simul in sua specialitate concurrant, retineas, et earum fructus, redditus, et proventus percipias, juxta concessionis nostre tenorem, quam quidem concessionem, sicut de prepositura sicut et de prebenda Leodiensi predictis intelligi volumus, donec super hiis per Sedem eandem aliud extiterit ordinatum. Decernentes etc. — Dat. apud Montemflasconem, idibus novembris, anno secundo. »

In e. mo. .. Virdunensis et .. Yvodiensis, Treverensis diocesis decanis quatinus eundem Bouchardum vel procuratorem suum, in corporalem possessionem prepositurae. Leodiensis ecclesiae inducant, ei facientes predictae prepositurae redditus ministrari. — Dat. ut supra.

208 Montefiascone, 8 août 1282.

Guillelmo de Hainonia, capellano suo, quem, parum antequam iter arriperet ad Sedem Apostolicam veniendi, canonici ecclesiae Condatensis, Cameracensis diocesis, in ejusdem ecclesiae praepositum elegerant, quamvis praepositurам Cameracensis et thesaurariam Tornacensis ecclesiarum jam obtineret, cum dictus Guillelmus primo hujusmodi electioni consensisset, sed postea, saniori usus consilio, Cameracensem praepositurам et dictam thesaurariam libere resignavisset, concedit ut nichilominus ipsas vacantes ad presens licite obtinere ac retinere valeat, non obstante quod in Cameracensi, Tornacensi, Condatensi, Lugdunensi, Leodiensi, Brugensi et Insulensi ecclesiis canonicatus et prebendas obtinere dinoscatur. — (Reg. 41, fol. 68 vº; ann. II, nº 78.)

« *Guillelmo de Hainonia, capellano nostro, preposito ecclesie Condatensis, Cameracensis diocesis.* Sicut exhibita nobis. — Dat. apud Montemflasconem, VI id. augusti, anno secundo. »

In e. mo. .. abbati monasterii Sancti Sepulchri Cameracensiset .. decano ecclesiae Senogiensis, Cameracensis diocesis, mandat quatinus dictum Guillelmum aut procuratorem suum in corporalem possessionem dictarum prepositurae et thesaurariae inducant. — Dat. ut supra.

209 Orvieto, 13 janvier 1283.

Cum Christoforo, capellano suo, canonico Senensi, priore saeculari ecclesiae Sanctae Mariae de Salteano, Senensis diocesis, dispensat ut cum prioratu dictae ecclesiae quem obtinet ecclesiam Sancti Christophori Senensis, quam postmodum assecutus est cujusque proventus decem librarum Turonen-

sium valentiam non excedunt, retinere valeat. — (Reg. 41, fol. 69; ann. II, n° 79.)

« *Dilecto filio Christoforo, capellano nostro, canonico Senensi, priori secularis ecclesie Sancte Marie de Salteano, Senensis diocesis.* Hos amplioris dono —. Dat. apud Urbemveterem, idibus januarii, anno secundo. »

210 Orvieto, 28 décembre 1282.

Egidio episcopo Aurelianensi duabus personis idoneis tabellionatus officium concedendi tribuit facultatem. — (Reg. 41, fol. 69; ann. II, n° 80.)

« *Venerabili fratri Egidio, episcopo Aurelianensi.* Tuam volentes honorare —. Dat. apud Urbemveterem, V kal. januarii, anno secundo. »

211 Orvieto, 21 janvier 1283.

Ecclesia Sancti Marci per obitum F. episcopi pastoris solatio destituta, cum, Trasmundo (*sic*) de Guillivisio clerico in episcopum Sancti Marci per viam scrutinii primum assumpto, sed facto hujusmodi minime consentiente, capitulum deinde Marcum canonicum dictae ecclesiae in episcopum elegerit, — Nicolaus vero papa per .. episcopum Albanensem et A. tituli Sanctae Praxedis presbyterum et J. Sanctae Mariae in Cosmedin diaconum cardinales praesentatam sibi electionem hujusmodi examinari fecerit, ac Martinus IV postmodum papa episcopo Neocastrensi et custodi ordinis fratrum Minorum de Cusentia ut super certis articulis veritatem inquirerent mandaverit, licet electio inventa sit ab eis canonice celebrata, — Episcopo Sabinensi mandat quatinus personam electi examinet et si eam invenerit idoneam, dictam electionem confirmet, electum in sacerdotem promoveat et ei munus consecrationis procuret. — (Reg. 41, fol. 69; ann. II, n° 81; — Potthast, n° 21978.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Sabinensi Apostolice Sedis legato.* Dudum ecclesia Sancti —. Dat. apud Urbemveterem, XII kal. februarii, anno secundo. »

212 Orvieto, 12 janvier 1283.

Ecclesia Sutrina per obitum Florasii ipsius episcopi vacante, cum Cosmas archipresbyter et capitulum, obtenta ab Apostolica Sede licentia, per viam scrutinii Aldebrandum tunc canonicum Balneoregensem, priorem sancti Nicolai de Sypiczano, Balneoregensis diocesis, in episcopum concorditer elexissent, hujusmodi electionem confirmat, dictumque Aldebrandum Sutrinae ecclesiae praeficit in episcopum, faciendo ei per .. Tusculanum episcopum munus consecrationis postmodum impendi. — (Reg. 41, fol. 69 v°; ann. II, n° 82; — Potthast, n° 21970.)

« *Venerabili fratri Aldobrando episcopo Sutrino.* Ecclesia Sutrina per —. Dat. apud Urbemveterem, II idus januarii, anno secundo. »

In e. mo. archipresbitero et capitulo Sutrino mandat quatinus eidem episcopo debitam reverentiam et obedientiam exhibere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Sutrinae. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo Sutrino quatinus ejusdem episcopi mandatis intendant. — Dat. ut supra.

213 Orvieto, 7 janvier 1283.

Gaufrido de Anagnia capellano suo, auditori litterarum contradictarum ac Marchiae Anconitanae rectori uni personae idoneae tabellionatus officium concedendi tribuit facultatem. — (Reg. 41, fol. 70; ann. II, n° 83.)

« *Dilecto filio Gaufrido de Anagnia, capellano nostro, auditori litterarum nostrarum contradictarum ac Marchie Anconitane rectori.* Cum circa prosecutionem —. Dat. apud Urbemveterem, VII idus januarii, anno secundo. »

214 Orvieto, 18 janvier 1283.

Auximana ecclesia per obitum B. ipsius episcopi vacante, cum capitulum concorditer Berardum tunc dictae ecclesiae canonicum in episcopum elegisset, dictam electionem, — quae per B., Albanensem episcopum et Hugonem tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiterum et Gottifredum Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinales examinata, reperta fuit canonica et de persona ydonea celebrata, — confirmat, dictumque Berardum Auximanae ecclesiae praeficit in episcopum, faciendo ei per .. Tusculanum episcopum munus consecrationis impendi. — (Reg. 41, fol. 70; ann. II, n° 84.)

« *Venerabili fratri Berardo episcopo Auximano.* Recte tunc ecclesiarum —. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. februarii, anno secundo. »

In e. mo. capitulo Auximano mandat quatinus eidem episcopo debitam reverentiam et obedientiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Auximanae. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo Auximano quatinus ejusdem mandatis intendant. — Dat. ut supra.

In e. mo. vassallis ecclesiae Auximanae quatinus de hiis in quibus eidem tenuntur respondere curent. — Dat. ut supra.

215 Montefiascone, 28 août 1282.

Ladizlao regi Ungariae indulget ut, non obstante quod Philippus Firmanus episcopus, tunc Apostolicae Sedis legatus, in eundem regem excommunicationis sententia promulgata, in nonnullis regni ejus ecclesiis tunc vacantibus quarum patronus idem existit aliquos plebanos et rectores instituerit, tamen dictus rex ejusque successores, quotiens ecclesias ipsas vacare contigerit, ad eas idoneas personas repraesentent. — — (Reg. 41, fol. 70 v°; ann. II, n° 85; — Potthast, n° 21923.)

« *Carissimo in Christo filio Ladizlao regi Ungarie illustri.* Sicut porrecta nobis —. Dat. apud Montemflasconem, V kal. septembris, anno secundo. »

216 Montefiascone, 30 septembre 1282.

Regem Ungariae hortatur ut propter exacta pericula ad gratitudinem erga Deum inclinatus, vitia fugiet, virtutem sectet, pravos consiliarios abjiciat, nec a justis et fide sinceris eum deterreant litterae quaedam, quas super ejus corona et regno per ministrorum ejus malitiam fraudulenter extortas conqueritur. — (Reg. 41, fol. 70 v°; ann. II, n° 86; — Potthast, n° 21933.)

« .. *regi Ungarie illustri.* Paterna nos monet —. Dat. apud Montemflasconem, II kal. octobris, anno secundo. »

217 Montefiascone, 31 août 1282.

Bartholomeo episcopo Antaradensi concedit testandi facultatem. — (Reg. 41, fol. 71; ann. II, n° 87.)

« *Venerabili fratri Bartholomeo episcopo Anteradensi.* Quia presentis vite. — Dat. apud Montemflasconem, II kal. septembris, anno secundo. »

Montefiascone, 18 août 1282.

In e. mo. Arditioni electo Mutinensi. — Dat. apud Montemflasconem, XV kal. septembris, anno secundo.

In e. mo. Symeoni episcopo Balneoregensi. — Dat. ut supra.

218 Montefiascone, 1er octobre 1282.

Episcopo Arusiensi mandat quatinus quae de obventionibus in Datiae ac Suetiae regnis Terrae Sanctae subsidio deputatis collecta Bertrando archiepiscopo Arelatensi olim canonico Remensi et tunc decimae praedictae in illis partibus collectori assignata non fuerint, vel post recessum ejusdem Bertrandi colligenda remanserint, exigat ac recipiat. — (Reg. 41, fol. 71; ann. II, n° 88; — Potthast, n° 21934.)

« *Venerabili fratri episcopo Arusiensi.* Pene sancte negotium. — Dat. apud Montemflasconem, kalendis octobris, anno secundo. »

219 Montefiascone, 1er octobre 1282.

J., archiepiscopo Dublinensi collectori decimae Terrae Sanctae in regno Angliae constituto mandat quatinus ea quae per ipsum ac per magistrum Arditionem electum Mutinensem, papae capellanum, de arreragiis medietatis decimae primi anni in partibus regni Angliae colligentur, quibusdam mercatoribus Florentinis assignare procuret. — (Reg. 41, fol. 71 v°; ann. II, n° 89.)

« *Venerabili fratri J. archiepiscopo Dublinensi, collectori decime Terre Sancte in regno Anglie auctoritate apostolica constituto.* Petitionis tue ac dilecti filii magistri Arditionis electi Mutinensis, capellani nostri, olim college tui super collectione decime regni Anglie, tunc in illis partibus existentis, series continebat quod de areragiis medietatis decime primi anni, ad conservandam et custodiendam particulam que de Terra Sancta Christianis remansisse dinoscitur deputate, que dudum de ipsius anni medietate restabant, aliqua recepistis de quibus quicquam non extitit pro dicta medietate solutum. Unde quid super hoc, tu et idem capellanus facere deberetis apostolico vos edoceri oraculo postulastis. Cum autem prefatus capellanus ad Sedem Apostolicam remearit, nos super hoc tibi tenore presentium respondentes, volumus et fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea que per te, ac eundem capellanum de predictis arragiis (*sic*) sunt collecta, vel per te post ejusdem capellani recessum de partibus supradictis, aut etiam imposterum colligentur ex eis, dilectis filiis Medico Aliocii, Azolino Salvi et Symoni Gerardi, vel eorum alteri de societate Thomasii Spillati et Hugonis Spine, civibus et mercatoribus Florentinis, has tibi deferentibus litteras, de quorum probitate ac fidelitate gerimus fidutiam spetialem nostro et ejusdem Terre nomine, sublato difficultatis obstaculo, integre assignare procures, nobis quid et quantum mercatoribus ipsis de predictis arragiis duxeris assignandum plenarie rescripturus. Dat. ut supra. »

220 Montefiascone, 1er octobre 1282.

Praeposito ecclesiae de Clavasio, collectori decimae Terrae

Sanctae in Coloniensi, Bremensi et Magdeburgensi provinciis deputato mandat quatinus de pecunia a se collecta vel colligenda octo milia marcharum argenti quibusdam mercatoribus Florentinis assignet. — (Reg. 41, fol. 71 v°; ann. II, n° 90; — anal. Kaltenbrunner, p. 280, n° 247.)

« Sicut in litteris —. Dat. ut supra. »

221 Orvieto, 13 juin 1282.

Monasterio Sancti Alexandri Parmensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti, abbatissae regimine destituto, cum Margarita de Campilio, ipsius monasterii priorissa, in abbatissam concorditer electa fuisset, cumque hujusmodi electionis negotium a G. episcopo Sabinensi et H. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbitero et M. Sancte Marie in Porticu diacono cardinalibus examinatum fuisset, quia tamen de processu ipsius electionis per personas que interfuerint aut alias legitime ac de ipsius electae meritis plene non constaret, Priori Praedicatorum et Guardiano Minorum Reginorum mandat quatinus electionem iterum examinent, ac si eandem canonice celebratam invenerent, confirment, dictaeque abbatissae munus consecrationis impendant. — (Reg. 41, fol. 71 v°; ann. II, n° 91; — Potthast, n° 21914.)

« *Dilectis filiis .. priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Reginis.* Sua nobis dilecte. — Dat. apud Urbemveterem, idibus junii, anno secundo. »

222 Montefiascone, 10 juillet 1282.

Theodericum, priorem saecularis ecclesiae Sancti Andreae Urbevetanae, capellanum suum, ministerio collectionis decimae Terrae Sanctae in Treverensi et Maguntina provinciis, Pragensi, Olomucensi, Ehistetensi et Bambergensi civitatibus et diocesibus duntaxat exceptis, deputat, eum magistro Rogero quondam canonico Virdunensi, collectori in iisdem partibus a G. papa constituto subrogat, eique mandat quatinus juxta tenorem apostolicarum litterarum ipsi Rogero datarum procedere studeat. — (Reg. 41, fol. 72 r°; ann. II, n° 92; — Posse, n° 1091; — Kaltenbrunner, p. 277, n° 242.)

« *Theodorico priori secularis ecclesie Sancti Andree Urbevetane, capellano nostro, collectori decime in Treverensi et Maguntina provinciis, Pragensi, Olomucensi, Ehistetensi et Bambergensi civitatibus et diocesibus duntaxat exceptis Terre Sancte subsidio deputate.* Dura nimis et —. Dat. apud Montemflasconem, VI idus julii, anno secundo. »

In e. mo. dilecto filio magistro Alirono, canonico ecclesiae Sancti Marci de Venetiis, collectori decimae in Salzeburgensi provintia et Pragensi, Olomucensi, Ehistetensi et Bambergensi civitatibus et diocesibus provintiae Maguntinae Terrae Sanctae subsidio deputatae. — Dat. apud Montemflasconem, VI idus julii, pontificatus nostri anno secundo. (Potthast, n° 21918.)

223 Montefiascone, 15 juillet 1282.

Eidem Theoderico committit ut in hujusmodi executione negotii tenorem litterarum Rogero canonico Virdunensi, praedecessori suo transmissarum observet, nisi quoad depositionem pecuniae decimalis et constitutionem collectorum utilitas Terrae Sanctae aliud ei duxerit suadendum. — (Reg. 41, fol. 73; ann. II, n° 93; — Posse, n° 1092; — Kaltenbrunner, n° 243, p. 279.)

« *Dilecto filio Theoderico priori secularis ecclesie Sancti Andree Urbevetane, capellano nostro, collectori decime in Treverensi et Maguntina provinciis, Pragensi, Olomucensi, Ehistetensi et Bambergensi civitatibus et diocesibus duntaxat exceptis, Terre Sancte subsidio deputate.* Licet tibi per alias nostras sub certa forma dederimus litteras in mandatis, ut in ministerio collectionis decime Terre Sancte subsidio deputate, quod tibi per easdem litteras in Treverensi et Maguntina provinciis, Pragensi, Olomucensi, Ehistetensi et Bambergensi civitatibus, et diocesibus duntaxat exceptis duximus committendum, quodque quondam magistro Rogero canonico Virdunensi in eisdem provintiis ab Apostolica Sede commissum per litteras speciales procedere studeas, juxta litterarum ipsi magistro Rogero directarum continentiam earundem, nos tamen de tue probate circumspectionis industria plenam in Domino fidutiam obtinentes, discretioni tue presentium auctoritate committimus, ut in hujusmodi executione negotii tenorem litterarum Rogero transmissarum eidem observes nisi quo ad depositionem pecunie decimalis et constitutionem collectorum predicte decime, utilitas dicte Terre aliud tibi duxerit suadendum, sic te prudenter et discrete in eodem negotio habiturus ut exinde non immerito commendari valeas et Sedis Apostolice gratiam uberius promereri. Dat. apud Montemflasconem, idibus julii, anno secundo. »

In e. mo. magistro Alirono, canonico ecclesiae Sancti Marci de Venetiis, collectori decimae in Salzeburgensi provintia et Pragensi Olomucensi et Bambergensi civitatibus et diocesibus provintiae Maguntinae. — Dat. ut supra.

224 Orvieto, 17 juin 1282.

Episcopis Glasguensi, Dumblanensi et Cathanensi mandat

quatinus Henrico, quem ex diacono ecclesiae Aberdonensi, tunc temporis vacanti, in episcopum Papa prefecit, sacerdotalem ordinem et munus consecrationis, recepto ab ipso solito fidelitatis juramento, impendant. — (Reg. 41, fol. 73; ann. II, nº 94.)

« *Venerabilibus fratribus .. Glasguensi, .. Dumblanensi et .. Cathanensi episcopis.* Cum Aberdonensis ecclesia pastore vacante, nos dilectum filium Henricum diaconum ejusdem ecclesie precentorem virum utique probate vite, magne scientie ac circumspectionis experte ipsi ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis in episcopum prefecerimus et pastorem, volumus et presentium vobis auctoritate committimus quatinus ad ipsam ecclesiam personaliter accedentes eidem electo unus vestrum vice vestra sacerdotalem ordinem statuto tempore, ac demum reliquis vestrum presentibus et in hoc sibi assistentibus, munus consecrationis impendat, recepto postmodum ab ipso nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite juramento juxta formam quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, formam autem juramenti quod ipse prestabit de verbo ad verbum nobis per ejusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quamtotius destinetis. Quod si aliquis vestrum hiis exequendis interesse non possit, alium episcopum regni Scotie gratiam et communionem Apostolice Sedis habentem reliqui duo sibi nichilominus ad eorum executionem assumant. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. julii, anno secundo. »

225 Orvieto, 17 juin 1282.

Henrico diacono, electo Aberdonensi, nuntiat se .. Glasguensi vel .. Dumblanensi aut .. Cathanensi episcopis facultatem concedisse sacerdotalem ordinem consecrationisque munus dicto Henrico impendendi. — (Reg. 41, fol. 73, ann. II, nº 95.)

« *Henrico diacono electo Aberdonensi.* Cum Aberdonensis ecclesia —. Dat. ut supra. »

226 Montefiascone, 11 septembre 1282.

Priori Praedicatorum et Guardiano Minorum ordinum Bononiensibus, lite inter scolares in civitate Bononiensi morantes et commune ejusdem civitatis exorta, mandat quatinus dictos scolares a vinculo juramenti absolvat quo firmaverunt se, nisi a dicto communi petitiones eorum admitterentur, usque ad festum beati Michaelis de eadem civitate recedere. — (Reg. 41, fol. 73 ; ann. II, nº 96 ; — Potthast, nº 21926.)

« .. *priori Predicatorum et .. Guardiano minorum fratrum ordinum Bononiensibus.* Nuper ad nostrum. — Dat. apud Montemflasconem, III idus septembris, anno secundo. »

227 Montefiascone, 29 août 1282.

Archiepiscopo Toletano mandat quatinus Ferrando Roderici, canonico ecclesiae Toletanae apud Sedem Apostolicam constituto, et apud eandem Sedem studio theologicae facultatis insistere cupienti, redditus et proventus prebendae ejusdem faciat ministrari. — (Reg. 41, fol. 73 vº ; ann. II, nº 97.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Toletano.* Cum dilectus filius Ferrandus Roderici, canonicus Toletanus, apud Sedem Apostolicam constitutus cupiat, sicut nobis exposuit apud eandem Sedem studio theologice facultatis insistere, nos ipsius Ferrandi supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus eidem Ferrando hujusmodi studio insistenti fructus, redditus et proventus prebende sue ecclesie Toletane, cotidianis distributionibus que dantur canonicis qui horis intersunt duntaxat exceptis, per quinquennium integre facias ministrari, non obstantibus etc. Dat. apud Montemflasconem, IIII kal. septembris, anno secundo. »

In e. mo. decano ecclesiae Salamantinae. — Dat. ut supra.

228 Orvieto, 28 avril 1282.

Abbati et conventui monasterii Fiscannensi indulget ut per litteras a Sede Apostolica impetrandas in quibus Rothomagensis archiepiscopus, aut officialis ejus seu aliquis de ecclesia eadem judex, conservator aut executor datus fuerit, contra dictum monasterium minime procedi valeat, absque ipsius Sedis speciali mandato. — (Reg. 41, fol. 73 vº; ann. II, nº 98.)

« *Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii Fiscanensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Rothomagensis diocesis.* Meritis vestre devotionis inducimur ut quam digne possumus, vobis libenter gratiam faciamus. Hinc est quod nos, vestris supplicationibus inclinati ad instar felicis recordationis Innocentii, Alexandri, Gregorii et Innocentii quinti, predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum auctoritate vobis presentium indulgemus, ut per litteras a

Sede Apostolica, vel legatis ipsius impetrandas in quibus archiepiscopus Rothomagensis, qui pro tempore fuerit, aut officialis ejus, seu aliquis de ecclesia Rothomagensi, judex, conservator aut executor datus fuerit contra vos, monasterium vestrum vel membra ipsius, procedi minime valeat absque speciali mandato Sedis Apostolice plenam et expressam faciente de hac indulgentia mentionem, presentibus post quinquennium minime valituris. Nulli ergo etc, nostre concessionis etc. Dat. apud Urbemveterem, IIII kal. maii, anno secundo. »

229 Orvieto, 4 mai 1282.

R., abbati monasterii Fiscannensis, benedicendi calices, pallas altaris, corporalia et vestes sacerdotales ad usum monasterii ipsius et ecclesiarum ipsi subjectarum concedit facultatem. — (Reg. 41, fol. 74 ; ann. II, nº 99.)

« *Dilecto filio R., abbati monasterii Fiscanensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Rothomagensis diocesis.* Ut ex sincere devotionis affectu que ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris favorem apostolicam tibi sentias accrevisse, benedicendi calices, pallas altaris, corporalia et vestes sacerdotales, ad usum tantum monasterii tui et ecclesiarum tibi pleno jure subjectarum in eodem duntaxat monasterio, dum modo tibi ab aliquo episcopo gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, secundum morem preficiendorum abbatum, manus impositio facta esse noscatur, et te constet sacerdotem existere, tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli ergo etc., nostre concessionis etc. Dat. apud Urbemveterem, IIII nonas maii, anno secundo. »

230 Montefiascone, 14 septembre 1282.

Archiepiscopo Ravennati mandat quatinus, sociatis sibi duobus vel tribus episcopis, Arditioni electo Mutinensi munus consecrationis impendat. — (Reg. 41, fol. 74 ; ann. II, nº 100.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Ravennati.* Cum dilectum filium. — Dat. apud Montemflasconem XVIII kal. octobris, anno secundo. »

231 Montefiascone, 20 septembre 1282.

Priori et conventui monasterio Sancti Sulpitii Bituricensis, duobus electionibus in dicto monasterio de Guillelmo de Vileriis et Aymone de Muneto celebratis, sed resignantibus ambobus jus omne quod sibi ex dicta electione competeret, electionem pro futuri substitutione abbatis committit. — (Reg. 41, fol. 74 ; ann. II, nº 101.)

« *.. priori et conventui monasterii Sancti Sulpitii Bituricensis, ordinis sancti Benedicti.* Vacante dudum monasterio Sancti Sulpitii Bituricensis, ordinis sancti Benedicti, per mortem quondam Guillelmi abbatis ipsius monasterii, due electiones, una videlicet de Guillelmo de Vileriis, capellano nostro, de Bregniaco, et altera de Aymone, monacho ejusdem monasterii, de Muneto, Eduensis et Bituricensis diocesum prioratuum prioribus, fuerunt ibidem in discordia celebrate. Hujusmodi autem electionum negotio per appellationem eorum qui dictum capellanum elegerant ad Apostolicam Sedem deducto et dictis capellano et Aymano ad Romanam curiam accedentibus, tandem dictus Aymo de ipsa curia licentia non petita dicitur recessisse, ac postmodum dictus capellanus omne jus, si quod sibi ex electione competebat eadem, libere in nostris manibus resignavit ; sicque nos volentes paterna sollicitudine providere quod ad ipsius monasterii regimen canonice pastor assumeretur ydoneus, si propter predicta monasteria ipsum vacabat totaliter expeditum, vel alias vacare contingeret, ea vice provisionem monasterii predicti ordinationi et dispositioni apostolice auctoritate apostolica duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane si secus a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et tandem ex certis causis, predictum Aymonem et omnes alios, qui sua crederent interesse sub certa forma citari mandavimus, ut nostro, si vellent, se conspectui presentarent, in hujusmodi negotio processuri ac facturi et recepturi super hoc quod exigeret ordo juris ; sed, sicut accepimus, littere citationis hujusmodi ad partes illas minime pervenerunt. Demum vero, sicut asseritur, antequam in ipso negotio procederetur ulterius, dictus Aymo omne jus quod sibi ex electione competebat eadem libere resignavit et .. supprior prefati monasterii ac vos, credentes penes vos residere potestatem liberam eligendi, pro eo maxime quod electio seu postulatio facta de prefato priore de Bregniaco, utpote que celebrata fuerat a minori parte vestrum quam tertia, sequentem credebatis impedire non posse, die ad eligendum prefixa, cum non possetis in unam concordare personam, dilecto filio Symoni electo Bituricensi unanimiter supplicastis, ut de abbate vobis et dicto monasterio provideret ; sed dictus electus reservationem et alia predicta prudenter attendens, se provisioni hujusmodi non ingessit. Nos autem postmodum circa salubrem provisionem predicti monasterii, quod affectione paterna respicimus, nostra studia

convertentes, ac vias dispendiose vacationis precidere cupientes, et attendentes quod nos de personis ad hoc ydoneis, consideratis conditionibus et circumstantiis universis, notitiam habere poteritis pleniorem, si premissis veritas suffragatur, electionem pro futuri substitutione abbatis in memorato monasterio celebrandam vobis de speciali gratia duximus remittendam. Sic itaque studeatis vobis et prefato monasterio, non obstantibus reservatione ac decreti interpositione seu citatione predictis, etiam si ad citationem hujusmodi processum existat, de pastore ydoneo, dante Domino, canonice providere quod nos spe, quam in hac parte de circumspectione vestro gerimus, non fraudemur, vosque possitis exinde apud Deum et homines merito commendari. Dat. apud Montemflasconem, XII kal. octobris, anno secundo. »

232 Montefiascone, 30 août 1282.

Priori Praedicatorum et Guardiano Minorum ordinis de Urbe, cum Franciscus Nicolai Crescentii et Magdalena nata Nicolai Johannis de Insula, cives Romani, ad sedandas inimicitias capitales quas inter dictos Franciscum et Nicolaum excitatae essent, per verba de praesenti matrimonium contraxerint, eademque Magdalena per dictum Franciscum subarrata fuerit per annulum, — mandat quatinus, juramento a praedictis recepto quod dictum matrimonium contraxerint ignorantes quarti consanguinatis gradus vinculum quo junguntur, cum eisdem, juxta petitionem Anibaldi de Anibaldis, ut dicto impedimento non obstante matrimonium libere consummare possint, dispensent. — (Reg. 41, fol. 74 v°; ann. II, n° 102; — Potthast, n° 21924.)

« .. *priori Predicatorum et .. guardiano fratrum minorum ordinum de Urbe.* Exposita coram nobis —. Dat. apud Montemflasconem, III kal. septembris, anno secundo. »

233 Montefiascone, 9 septembre 1282.

Petro abbati saecularis ecclesiae Sancti Affrodisii Biterrensis indulget ut praeter abbatiam ejusdem ecclesiae, quam obtinet, aliud beneficium ecclesiasticum, etiamsi curam animarum habeat annexam ac etiamsi dignitas aut personatus existat, libere recipere ac retinere valeat, non obstante constitutione generalis concilii, seu quod quasdam decimas valoris annui viginti librarum turonensium obtinet. — (Reg. 41, fol. 74 v°; ann. II, n° 103.)

« *Dilecto filio Petro abbati secularis ecclesie Sancti Affrodisii Biterrensis.* Etsi propter ambitiones —. Dat. apud Montemflasconem, V idus septembris, anno secundo. »

234 Montefiascone, 17 septembre 1282.

G. episcopo Sabinensi, confirmandi electionem de Justatio fratre ordinis Praedicatorum in ecclesia Sancte Agathensi celebratam, si eam invenerit de persona ydonea canonice celebratam, facultatem concedit. — (Reg. 41, fol. 74 v°; ann. II, n° 104.)

« *Venerabili fratri G. episcopo Sabinensi, Apostolice Sedis legato.* Significarunt nobis dilecti filii capitulum ecclesie Sancte Agathensis, quod, dudum ecclesia ipsa pastoris solatio destituta, ipsi, vocatis omnibus qui voluerunt, potuerunt et debuerunt com[m]ode interesse, die ad eligendum prefixa, prout moris est, pro futuri substitutione pastoris, convenientes in unum et tandem per viam compromissi procedere ad electionem hujusmodi cupientes, dilecto filio Johanni de Offredo primicerio, Johanni dicto Pirra, Donato et Roberto Ferrario canonicis, ac Johanni de Raymo, clerico ecclesie memorate providendi illa vice de pastore dederunt unanimiter potestatem, promittentes illum recipere in episcopum quem ipsi, vel pars eorum eligerent seu etiam postularent. Qui hujusmodi potestate recepta, secedentes in partem, consideratis diligenter meritis personarum que tante congruerent oneri et honori, in dilectum filium fratrem Justasium, ordinis Predicatorum, suum unanimiter direxerunt consensum; et tandem prefatus Johannes dictus Pirra suo et eorundem collegarum suorum nomine mox in eodem capitulo postulando elegit et eligendo postulavit in episcopum Sancte Agathensem (*sic*) Justasium memoratum. Verum licet postmodum dicti capitulum electionem et postulationem hujusmodi approbassent, quia tamen idem Justasius consentiendi hujusmodi electioni licentiam, a dilecto filio .. magistro ipsius ordinis, pro eo quod in remotis agit, nequivit co[m]mode postulare, prefati capitulum nobis humiliter supplicarunt ut, cum sperent auctore Domino ipsius Justasii industriam eidem ecclesie plurimum profuturam, ei concedere hujusmodi licentiam dignaremur. Nos itaque, ipsorum capituli supplicationibus inclinati, veris existentibus supradictis, concedendi prefato Justasio dictam licentiam, lapsu temporis in petendo super hujusmodi consensu licentiam non obstante, ac tandem confirmandi electionem hujusmodi si eam inveneris de persona ydonea canonice celebratam et postmodum consecrandi ipsum, aut faciendi sibi munus consecrationis impendi ad hoc debito episcoporum numero convocato, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Dat. apud Montemflasconem, XV kal. octobris, anno secundo. »

235 Montefiascone, 25 septembre 1282.

Eidem confirmandi electionem de fratre Deodato ordinis

Praedicatorum Capuanorum in episcopum Militensis ecclesiae a capitulo ipsius ecclesiae factam, si eam invenerit de persona idonea canonice celebratam, concedit facultatem. — (Reg. 41, fol. 75; ann. II, nº 115; — Potthast, nº 21930.)

« *Eidem.* Significarunt nobis dilecti filii capitulum ecclesie Militensis quod, dudum ecclesia ipsa pastoris solatio destituta, duabus electionibus, una videlicet de fratre Deodato, ordinis Predicatorum Capuanorum altera vero, de quondam Arnaldo de Bauro monacho tunc vivente, in discordia inibi celebratis, et tandem eodem D. post obitum ipsius A. electioni de se facte recusante prebere consensum, iidem capitulum ad electionem aliam per viam scrutinii procedere cupientes, Guillelmum cantorem, et Nicolaum de Capua, ac Manfredum dictum Giphonum canonicos ejusdem ecclesie suorum votorum scrutatores unanimiter elegerunt; qui secedentes in parte sua et singulorum de dicto capitulo vota secreto et singillatim diligentius perscrutati, mox in dicto capitulo scrutinium hujusmodi publicarunt; et demum facta collatione meriti ad meritum, zeli ad zelum et numeri ad numerum, comperto quod ex dictis capitulo qui erant viginti et unus numero, cantor et sexdecim ex eis in prefatum D., premissus vero Manfredus et tres reliqui in Hugonem de Perona direxerant vota sua, idem cantor suo et dictorum sexdecim eundem D., Manfredus vero predictus, suo et trium eorundem nomine, prefatum H. postulando elegerunt et eligendo postularunt in episcopum Militensem. Porro postmodum prefato H. electioni de se facte renuntiante omnino, premissi electores ejusdem H. electioni hujusmodi de dicto D. celebrate unanimiter consenserunt. Sed sepefatus D. a dilecto filio .. magistro ipsius ordinis, pro eo quod in remotis agit, et a quondam fratre P. tunc priore suo provintiali, qui similiter tunc in remotis agebat, consentiendi electioni hujusmodi licentiam nequivit co[m]mode postulare. Quare prefati capitulum, nobis humiliter supplicarunt ut cum sperent, auctore Domino, ipsius D. industriam eidem ecclesie plurimum profuturam, ei concedere hujusmodi licentiam dignaremur. Nos itaque eorundem capituli supplicationibus inclinati, veris existentibus supradictis, concedendi prefato D. dictam licentiam lapsu temporis in petendo super hujusmodi consensu licentiam non obstante, ac confirmandi electionem hujusmodi si eam inveneris de persona ydonea canonice celebratam, et postmodum consecrandi ipsum, aut fatiendi sibi munus consecrationis impendi ad hoc debito episcoporum numero convocato, plenam auctoritate presentium tibi concedimus facultatem. Dat. apud Montemflasconem, VII kal. octobris, anno secundo. »

236 Montefiascone, 21 septembre 1282.

Cum in ecclesia Yporiensi, per obitum J. episcopi vacante, F. tunc in minoribus ordinis constitutus, a capitulo in episcopum postulatus fuisset, ac ipsi Urbanus papa administrationem ejusdem ecclesiae usque ad suae beneplacitum voluntatis commisisset, posteaque a Clemente et Gregorio romanis pontificibus hujusmodi commissio absque prefinitione temporis innovata fuisset, ipsum F. dictae Yporiensi ecclesiae praeficit in episcopum. — (Reg. 41, fol. 75; ann. II, nº 106.)

« *Dilecto filio F. electo Yporiensi.* Sollicitudinis apostolice studium. — Dat. apud Montemflasconem, XI kal. octobris, anno secundo. »

In e. mo. capitulo ecclesiae Yporiensis, quatinus eidem episcopo debitam reverentiam et obedientiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Yporiensis. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Yporiensis, quatinus ejusdem monitis intendant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis ecclesiae Yporiensis quatinus de juribus eidem debitis respondere curent. — Dat. ut supra.

237 Montefiascone, 21 septembre 1282.

Frederico electo Yporiensi tunc diacono indulget ut a quocumque maluerit antitiste gratiam et communionem Apostolice Sedis habente presbyteratus ordinem statuto tempore recipere valeat. — (Reg. 41, fol. 75 vº; ann. II, nº 107.)

« *Dilecto filio Frederico electo Yporiensi.* Tue devotionis sinceritas —. Dat. ut supra. »

238 Montefiascone, 21 septembre 1282.

Frederico electo Yporiensi indulget ut Mediolanensis archiepiscopus, ejus metropolitanus, associatis duobus vel tribus episcopis, ei, postquam fuerit in presbyterum ordinatus, munus consecrationis impendere valeat. — (Reg. 41, fol. 75 vº; ann. II, nº 108.)

« *Eidem.* Ea que juste —. Dat. ut supra. »

239 Montefiascone, 21 septembre 1282.

Frederico electo Yporiensi ecclesiam Sancti Laurentii in suburbio Yporiensi quam canonice obtinet, et ejus praeben-

dam Yporiensis ecclesiae reservat. — (Reg. 41, fol. 75 v°; ann. II, n° 109.)

« *Eidem.* Dum sollicitudinis labores —. Dat. ut supra. »

In e. mo. episcopo Vercellensi mandat quatinus non permittat eundem electum super ecclesia Sancti Laurentii et praebenda praedictis contra reservationis papae tenorem molestari. — Dat. ut supra.

240 Orvieto, 23 janvier 1283.

Magistro Johanni dicto de Caserta, clerico Capuano, in minoribus ordinibus constituto, qui per magistrum Nicolaum de Terracena, capellanum papae, archidiaconum Lexoviensem, fuit repertus idoneus, tabellionatus officium concedit. — — (Reg. 41, fol. 76; ann. II, n° 110.)

« *Magistro Johanni dicto de Caserta, clerico Capuano in* (1) *minoribus ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria —. Dat. apud Urbemveterem, X kal. februarii, anno secundo. »

Orvieto, 25 janvier 1283.

In e. mo. Petro Passavantis de Vico, clerico in minoribus ordinibus constituto, Alatrinae diocesis. — Dat. apud Urbemveterem, VIII kal. februarii anno secundo.

Orvieto, 23 janvier 1283 (2).

In e. mo. Jacobo Vannhatii de Bargiaco, clerico in minoribus ordinibus constituto, Uticensis diocesis. — Dat. apud Urbemveterem, X kal. februarii, anno secundo.

Orvieto, 21 janvier 1283.

In e. mo. Berardo Bonihominis de Carcio, laico, Marsicanae diocesis. — Dat. apud Urbemveterem, XII kal. februarii, anno secundo.

241 Orvieto, 21 janvier 1283.

Monaldo filio Johannis Fidantiae de Bulseno, laico, Urbevetanae diocesis, qui per magistrum Nicolaum de Terracena, archidiaconum Lexoviensem, capellanum papae, examinatus fuit et repertus idoneus, judicatus et tabellionatus officia concedit. — (Reg. 41, fol. 76; ann. II, n° 111.)

« *Dilecto filio Monaldo filio Johannis Fidentie de Bulseno, laico, Urbevetane diocesis.* Quia si jus —. Dat. apud Urbemveterem, ut supra. »

(1) Le mot *in* est répété deux fois dans le Registre.

(2) En surcharge et en renvoi dans le Registre.

242 Montefiascone, 11 novembre 1282.

Gerardo, archidiacono Bracharensi, collectori decimae in regno Portugalliae deputato, mandat quatinus fratri Monaldo de Sancta Anatholia, ordinis Minorum, de dicta decima rationem reddat, et totam dictae decimae pecuniam certis mercatoribus faciat integre assignari: — videlicet: [1° tertiam partem ejusdem decimae] (1) Bandino Amannati, Johanni Gerardini, Lante Agolantis, Besso Bartholomei et Nello Bonaccursi de societate Amannatorum de Pistorio vel alicui ex eisdem, suo et dictae societatis nomine; — 2° aliam vero tertiam partem Dino Jacobi Fortisguerre, Johanni et Nicolao Paganelli Dulcis fratribus, Fregioto Bugieri de Monte Claro, Dino Jacobi Benectonis et Johanni Guidi Jordani de societate Orlandini et Ubaldi Cardelini, civibus et mercatoribus Lucanis; — 3° ac reliquam tertiam partem Bulliono Rossilioni, Rustico Romagnioli, Aldefrando Christofori, Raynerio Butricho et Soffredo Diversi de societate Bactoli de Luca. — (Reg. 41, fol. 76 v°; ann. II, n° 112; — Potthast, n° 21943.)

« *Gerardo, archidiacono Bracharensi, collectori decime in regni Portugallie partibus a sede apostolica deputato.* Terre Sancte negotio —. Dat. apud Montemflasconem, III idus novembris, anno secundo. »

243 Montefiascone, 11 novembre 1282.

Fratri Monaldo de Sancta Anatholia ordinis Minorum mandat quatinus ad regnum Portugalliae se conferens, a G., archidiacono Bracharensi, collectore decimae in eodem regno deputato, de dicta decima plenam exigere studeat rationem, ac supradictis mercatoribus totam ejusdem decimae pecuniam faciat per eundem archidiaconum assignari. — (Reg. 41, fol. 76 v°; ann. II, n° 113; — Potthast, n° 21944.)

« *Dilecto filio fratri Monaldo de Sancta Anatholia, ordinis Minorum.* Illa te credimus —. Dat. ut supra. »

244 Orvieto, 13 janvier 1283.

Theoderico priori ecclesiae Sancti Andree Urbevetanae, capellano suo, collectori decime Terrae Sanctae in Treverensi et Maguntina provinciis, Pragensi, Olomucensi, Eistetensi et Bambergensi civitatibus duntaxat exceptis, a Sede Apostolica deputato, qui in litteris suis significaverat in Alamaniae partibus dolosam linguam disseminare quod decimam Terrae Sanc-

(1) Le Registre paraît offrir une lacune.

tae subsidio deputatam in usus alios nequiter ecclesia Romana converteret, et tutius et securius esse ut decima dictis in partibus collecta extra ipsius regni limites conserveretur, cum ad occupationem ejus quamplures de partibus illis libenter manus extenderent, nisi eos timor regius cohiberet, — mandat quatinus totam decimam collectam vel colligendam aliquibus mercatoribus Florentinis aut Senensibus vel Lucanis seu Pistoriensibus, de quibus viderit expedire, assignare procuret. — — (Reg. 41, fol. 77; ann. II, nº 114; — Kaltenbrunner, p. 284, nº 250.)

« *Dilecto filio Theoderico priori ecclesie Sancti Andree Urbevetane, capellano nostro, collectori decime Terre Sancte in Treverensi et Maguntina provinciis, Pragensi, Olomucensi, Eistensi et Bambergensi civitatibus duntaxat exceptis a Sede Apostolica deputato.* Litteras tuas benigne —. Dat. apud Urbemveterem, idibus januarii, anno secundo. »

245 Orvieto, 13 janvier 1283.

Regem Romanorum rogat quatinus predictum Theodericum, priorem ecclesiae Sancti Andreae Urbevetanae, capellanum papae, collectorem decimae Terrae Sanctae in Treverensi et Maguntina provinciis, Pragensi, Olomucensi, Eistetensi et Bambergensi civitatibus et diocesibus duntaxat exceptis a Sede Apostolica deputatum, commendatum habeat. — (Reg. 41, fol. 77; ann. II, nº 115; — Posse, *Analecta Vaticana*, p. 161; — Kaltenbrunner, p. 285, nº 251.)

« *Carissimo in Christo filio .. regi Romanorum illustri.* Credentes firmiter quod. — Dat. apud Urbemveterem, idibus januarii, anno secundo. »

246 Orvieto, 13 janvier 1283.

Tellio, archiepiscopo Bracharensi, ut de bonis mobilibus ecclesiasticis ejus dispensationi seu administrationi commissis quae non fuerunt ecclesiarum ei commissarum usui deputata vel quae ordinis fratrum Minorum, quem idem fuit professus, non existant, necnon et quibuscumque bonis mobilibus ab eo per Ecclesiam licite acquisitis testari ac disponere possit, facultatem concedit. — (Reg. 41, fol. 77 vº; ann. II, nº 116.)

« *Venerabili fratri Tellio archiepiscopo Bracharensi.* Quia presentis vite —. Dat. ut supra. »

247 Orvieto, 10 janvier 1283.

Episcopo Cathalaunensi mandat quatinus Henricum comitem Luceburgensem, cujus patri Henrico dicebatur fuisse a Sede Apostolica concessum ut de legatis et obventionibus relictis et relinquendis pro Terrae Sanctae subsidio in civitatibus et diocesibus Cameracensi, Virdunensi, Tullensi, Mettensi et Leodiensi, quindecim milia librarum turonensium perciperet, de qua concessione in litteris de negotio decimae Philippo regi Franciae datis nulla fit mentio, cum omnibus instrumentis dictam concessionem tangentibus infra bimestris temporis spatium comparere procuret. — (Reg. 41, fol. 77; ann. II, nº 177; — Kaltenbrunner, p. 281, nº 249.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Cathalaunensi.* Dudum in minori officio constituti, et in Gallicanis partibus legationis fungentes officio, felicis recordationis Johannis pape predecessoris nostri recepimus litteras inter cetera continentes, quod ex parte carissimi in Christo filii nostri Phylippi regis Francorum illustris propositum fuerat coram eo quod pie memorie Gregorius papa predecessor noster, primo dilecto filio .. abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia, suis dedit litteris in mandatis ut residuum decime omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum regni Francie, necnon extra regnum ipsum vicesimam reddituum et proventuum eorundem per Cameracensem, Virdunensem, Tullensem, Metensem et Leodiensem civitates et dioceses clare memorie Ludovico regi Francie patri suo ab Apostolica Sede concesso, ad opus et subsidium Terre Sancte colligere procuraret, ac etiam legata et obventiones quolibet eidem subsidio predicto. L. rege vivente relicta, seu etiam deputata pro ea parte pro qua legata et obventiones hujusmodi collecta non fuerant; cetera insuper legata et obventiones in predicto regno post obitum ipsius regis Ludovici relicta seu etiam relinquenda in subsidium dicte Terre ac per alios collecta necdum reddita sibi faceret integre assignari deponenda in domo Templi Jerosolimitani Parisius et etiam assignanda, ut idem abbas pro parte Sedis Apostolice dicto regi Phylippo de viginti et quinque milibus marcharum argenti, que ab olim rex ipse prefato G. predecessori ante generale Lugdunense concilium pro ejusdem Terre subsidio mutuarat satisfacere procuraret. Et postmodum ab eodem Gregorio predecessore nobis tunc in partibus existentibus supradictis injunctum extitit per litteras spirituales, ut omnia et singula predicta colligere ac ea cum integritate et signanter deponere curaremus, habita de mandato priori in eisdem litteris mentione. Sicque cum idem abbas a collectione hujusmodi destitisset, nec per ipsum neque per nos tunc prefato regi Philippo de quantitate hujusmodi ex centesima, legatis aliisque obventionibus civitatum et diocesum predictarum fuit in aliquo satisfactum. Et quia quondam Henrico comiti Luceburgensi dum adhuc viveret dicebatur fuisse ab Apostolica Sede concessum per litteras speciales ut de legatis

et obventionibus relictis et relinquendis pro Terre subsidio prelibate in quinque civitatibus et diocesibus supradictis et nonnullis aliis locis quindecim milia librarum turonensium perciperet, nulla in eisdem litteris de predicta concessione facta dicto regi Phylippo habita mentione, prefatus Johannes predecessor ad ipsius regis instantiam nobis injuncxit, ut tam regis quam comitis predictorum litteras super hujusmodi concessione confectas facientes nobis quamtotius exhiberi, earum plenius inspectis tenoribus, super hoc ordinare ac disponere studeremus quod absque lesione justitie secundum Deum existeret faciendum, facientes nichilominus quod ordinaremus et disponeremus per censuram ecclesiasticam firmiter observari, contradictores per censuram eandem appellatione postposita compescendo; non obstante constitutione de duabus dictis edita in concilio generali, seu quod idem comes de nostra tunc legatione non esset, aut si aliquibus a Sede Apostolica foret indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possent per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Nos autem, receptis ejusdem Johannis predecessoris litteris supradictis, prefatum comitem per nostras litteras peremptorie citare curavimus ut per se vel per procuratorem ydoneum coram nobis certo termino compareret, nobis si quas super concessione predictarum quindecim milium librarum apostolicas haberet litteras ostensurus; sed licet idem comes per easdem nostras litteras citatus fuerit, nequaquam tamen ipse vel alius pro eodem comparuit coram nobis in termino supradicto, quanquam ante ipsius adventum termini quidam ad nos venerit, qui se in hoc procuratorem prenominati comitis asserebat. Demum nos intendentes de dictis partibus ad Sedem Apostolicam remeare tibi per nostras litteras speciales commisimus super hujusmodi negotio vices nostras. Et licet coram te quedam littere apostolice fuerint exhibite hinc et idem, nondum tamen ad decisionem hujusmodi negotii est processum. Nolentes itaque idem negotium remanere amplius in suspenso, ideoque illud ad ejusdem Sedis revocantes examen, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus dilectum filium nobilem virum .. comitem Luceburgensem, filium et heredem comitis H. predicti, ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra bimestris temporis spatium, post tue citationis edictum, per se vel per procuratorem ydoneum ad hoc specialiter constitutum, cum omnibus litteris, juribus et munimentis suis negotium contingentibus supradictum, coram nobis comparere procuret, facturus et recepturus super hoc quod justitia suadebit; sciturus quod sive comparuerit per se vel per alium sive non in termino quem ei duxeris assignandum, nos ex tunc ad expeditionem dicti negotii, prout expedire viderimus, auctore Domino procedemus. Diem vero citationis et formam, et quicquid in hac parte feceris, nobis per tuas litteras harum seriem continente, studeas fideliter intimare. — Dat. apud Urbemveterem IIII idus januarii, anno secundo. »

248 Orvieto, 20 janvier 1283.

Archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis mandat quatinus modis omnibus procurare curent ut quae subsidio Terrae Sanctae legata, relicta vel deputata fuerint, exhibeantur et persolvantur. — (Reg. 41, fol. 78 v°; ann. II, n° 118.)

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Remensi, ejusque suffraganeis.* Etsi Terre Sancte negotium quod cunctis Christi fidelibus cordi non immerito esse debet, olim dum minor nobis status adesset affectuose fuerimus prosecuti, nunc tamen pastoralis officii debito exigente, tanto magis ad illud afficimur, quanto ad nos spetialius noscitur idem negotium pertinere, ideoque summo desiderio ducimur, ut negotii ejusdem impedimentis quibuslibet congruis remediis occurratur. Sane fide digne relationis inculcatione didicimus, quod ea que Terre memorate subsidio pia devotione fidelium relinquuntur seu legantur, aut etiam deputantur interdum per fucate malignitatis austutiam (*sic*), interdum vero per desidiam vel negligentiam aliquorum adeo nequiter et dispendiose tractantur quod illa sepe gravis diminutionis detrimenta perferunt, frequenter etiam omnino depereunt in prejudicium dicte Terre. Volentes itaque ipsius in hoc indempnitatibus precavere, universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus ob divinam et Apostolice Sedis ac nostram reverentiam hujusmodi negotium favorabiliter amplectentes, singuli vestrum subscripta in suis civitatibus et diocesibus exequendo, legata, relicta et deputata hujusmodi per religiosos cujuscumque sint religionis aut ordinis vacare precipue solitos confessionibus audiendis, necnon et per parrochiales presbiteros et quosvis predictorum verisimiliter conscios compellendo, etiam eos auctoritate nostra ex officio nostro de plano et sine omni strepitu et figura judicii ad testamenta et alia monimenta quelibet per que dicta legata, relicta et deputata deberi constare valeat exhibenda; hec ipsis religiosis in virtute obedientie injungendo, et corporale super hiis nichilominus exigendo ab aliis a quibus exigendum videritis juramentum, diligenter et sollicite investigare curetis; et prosecuturi preterea circa investigationem hujusmodi alios vias et modos quos vobis Do-

minus ministrabit, tam in cathedralibus quam in aliis collegiatis et parrochialibus ecclesiis earundem civitatum, et diocesium publicum proponatis et per alios proponi faciatis edictum, illud, si opus fuerit, pluries iterando, quod omnes et singuli qui noverunt aliqua in predictum subsidium relicta, legata vel quomodolibet deputata infra mensem a die prime propositionis hujusmodi computandum, sub pena excommunicationis quam ipso facto incurrant edicto non parentes eidem, revelare tam legata, relicta sive deputata eadem et quantitates ipsorum quam legantium, relinquentium seu deputantium testamenta et depositiones quaslibet, necnon ipsorum et executorum aut alias ea detinentium vel debentium nomina, suis ordinariis si in suis diocesibus presentes extiterint, et si non fuerint presentes, vel sedes ipsorum vacaverint, eorum officialibus vel capitulorum cathedralium ecclesiarum earundem partium teneantur. Et tandem hiis taliter revelatis quod ea debita esse constet, studeatis cum omni diligentia et sollicitudine providere ut si legata, relicta seu deputata eadem presentia fuerint, utpote nec in diem aut alias delata quomodolibet vel suspensa cum ea cautela deponantur infra certum tempus ad id prefigendum a vobis in aliquo tuto loco, quod de perditione seu diminutione illorum suspitio non supersit sed in idem subsidium non diminuta in aliquo, per eos per quos converti debuerint, convertantur. Si vero eadem quoquomodo dilata vel suspensa fuerint, exigatis a detentoribus et debitoribus eorundem ydoneam cautionem quod illa, quamcito tempus solutionis eorum advenerit, cum integritate persolvant in hujusmodi subsidium similiter convertenda; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis Cisterciensibus, Predicatoribus, Minoribus vel aliis religiosis eorumve religioni vel ordini, collegiis, vel universitatibus, aut singularibus personis cujuscumque sint preminentie, dignitatis, conditionis aut status, sub quavis forma vel expressione verborum ab Apostolica Sede concessis, et specialiter si eis, vel eorum alicui ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet ipsius Sedis indulgentia per quam nostris litteris non expressam seu totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, seu de quo in eisdem litteris expressa mentio sit habenda. Quicquid autem super hiis actum fuerit, et specialiter revelatorum quantitatem, depositionem, depositionis modum et locum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes plene ac fideliter intimare curetis. Dat. apud Urbemveterem, XIII kal. februarii, anno secundo. »

In e. mo. venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Rothomagensi et ejus suffraganeis.

In e. mo. venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Senonensi, et ejus suffraganeis.

In e. mo. venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Turonensi et ejus suffraganeis.

In e. mo. venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Bituricensi, et ejus suffraganeis.

In e. mo. .. venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Lugdunensi, et ejus suffraganeis.

In e. mo. venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Narbonensi, et ejus suffraganeis.

In e. mo. venerabilibus fratribus universis suffraganeis, et dilectis filiis capitulo ecclesiae Aquensis.

In e. mo. venerabilibus fratribus universis suffraganeis, et dilectis filiis capitulo ecclesiae Burdegalensis.

In e. mo. venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Auxitano et ejus suffraganeis.

249 Orvieto, 18 janvier 1283.

Generali, provincialibus, ministris ac custodibus universis ordinis fratrum Minorum concedit facultatem « personas speciales que non sint de ipso ordine nominandi pro locorum » indulgentia singulorum ; quas personas per eos taliter nominatas in his administrationem legitimam generalem et liberam agere, et ipsos veros et legitimos administratores, » yconomos, syndicos et actores esse » papa decernit. — — (Reg. 41, fol. 79; ann. II, nº 119; — Potthast, nº 21976.)

« *Dilectis filiis .. generali et provintialibus ministris ac custodibus universis ordinis fratrum Minorum.* Exultantes in Domino —. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. februarii, anno secundo. »

250 Orvieto, 15 février 1283.

Monasterio de Evesham abbatis regimine destituto, cum per viam compromissi in Johannem de Brothamptonia dicti monasterii tunc cellerarium consensum fuisset, ac ille per Willelmum de Tyva, unum ex compromissariis, ex speciali mandato electus fuisset, dictam electionem sibi presentatam confirmat, ipsumque Johannem dicto monasterio praeficit in abbatem. — (Reg. 41, fol. 79 vº; ann. II, nº 120.)

« *Dilecto filio Johanni de Brothamptonia, abbati monasterii de Evesham, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Wigorniensis diocesis.*

Dudum monasterio de Evesham. — Dat. apud Urbemveterem, XV kal. martii, anno secundo. »

In e. mo. .. priori et conventui monasterii de Evesham quatinus dicto abbati debitam obedientiam et reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. .. illustri regi Angliae quatinus dictum abbatem commendatum habeat ipsumque benivolentiae suae gratia prosequatur. — Dat. ut supra.

251 Orvieto, 13 février 1283.

Ecclesiis Valentina et Diensi per obitum Amedei episcopi vacantibus, cum postquam earum provisionem papa sibi reservavisset, dictarum ecclesiarum capitula Henricum de Gebennis, archidiaconum Lingonensem, in suum episcopum elegissent necnon capitulum ecclesiae Viennensis, locorum metropolitanae tunc vacantis pastore, confirmavisset, Johannem abbatem monasterii Sancti Secani, ordinis Sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, in episcopum eligit. — (Reg. 41, fol. 80; ann. II, nº 121; — Potthast, nº 21986.)

« *Venerabili fratri Johanni Valentino et Diensi episcopo.* Ex suscepte servitutis —. Dat. apud Urbemveterem, idibus februarii, anno secundo. »

In e. mo. Valentino et Diensi capitulis quatinus ejusdem episcopi monita et mandata suscipiant. Dat. ut supra.

In e. mo. Valentino et Diensi cleris.

In e. mo. Valentino et Diensi populis. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis Valentinae et Diensis ecclesiarum mandat quatinus eidem episcopo juramentum fidelitatis necnon et consueta servitia et jura ei debita exhibeant. — Dat. ut supra.

252 Orvieto, 15 février 1283.

Viennensi ecclesia per obitum Guidonis quondam ipsius episcopi vacante, cum duae electiones de Raymundo dictae ecclesiae cantore, ac postea de Guillelmo tunc archidiacono Vindocinensi in ecclesia Carnotensi celebratae fuissent, dictis partibus coram Apostolica Sede citatis, dictoque Raymundo minime comparente, Guillelmoque omni juri sibi competenti renuncianti, electionem de ipso Guillelmo factam confirmat ipsumque Viennensi ecclesiae in archiepiscopum praeficit. — (Reg. 41, fol. 80 vº; ann. II, nº 122.)

« *Venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Viennensi.* Recte tunc ecclesiarum. — Sane Viennensis ecclesia per obitum bone memorie Guidonis archiepiscopi Viennensis destituta pastore, dilecti filii .. decanus et capitulum ipsius ecclesie ad tractandum de futuri substitutione prelati in eadem ecclesia insimul convenerunt, et non admissis dilectis filiis capitulo ecclesie Romanensis, Viennensis diocesis, qui asserentes se in electione Viennensi archiepiscopi jus habere, ac in possessione vel quasi hujusmodi juris existere, propter hoc in ecclesia predicta convenerant, seque ad eligendum una cum prefatis decano et capitulo ab eis postularunt admitti, deliberaverunt per viam procedere compromissi, et quatuor ex ipso capitulo Viennensi, videlicet dilectis filiis Huberto de Viriaco, archidiacono de Turre, Geraudo Coyndo, Syboudo Roveri, et Syboudo de Bellovisu, canonicis Viennensibus, providendi eidem Viennensi ecclesie de pastore usque ad consumationem unius candele ibidem accense, concesserunt liberam potestatem. Dicti quidem archidiaconus et canonici, secedentes in partem, tractatu inter se habito diligenti ante consumptionem prefate candele in dilectum filium Raymundum, cantorem ipsius ecclesie Viennensis, concorditer consenserunt ac predictus archidiaconus vice sua, collegarum suorum et capituli Viennensis ecclesie predictorum, ac de ipsorum mandato prefatum cantorem elegit in archiepiscopum Viennensem, ac memorati decanus et capitulum electionem hujusmodi acceptarunt. Predicti vero capitulum ecclesie Romanensis ac Guillelmus de Gebenna decanus Diensis, canonicus Viennensis, qui una cum aliis ex dicto capitulo ipsius ecclesie Viennensis prefatis archidiacono, et suis collegis predictam potestatem tradiderat, pretendentes quod iidem archidiaconus et sui college personam indignam scienter elegerant et quod eisdem capitulo Romanensi contradicentibus et contemptis fuerat ad hujusmodi electionem processum, ac prefati decanus et capitulum Viennenses electionem approbarant eandem et quod propter hoc erat ad eos ipsius Viennensis ecclesie provisio devoluta, ac volentes per viam compromissi de prelato dicte Viennensi ecclesie providere, dilectis filiis Petro, sacriste ipsius ecclesie Romanensis, Gaufrido decano Valentino, et Ysimdoni, sacriste Nivernensi, canonicis ejusdem ecclesie Romanensis, providendi eidem Viennensi ecclesie de pastore, potestatem unanimiter contulerunt : promittentes illum habere pro archiepiscopo Viennensi quem ipsi tres vel duo eorum ducerent eligendum. Iidem vero sacrista et sui college in te, tunc archidiaconum Vindocinensem in ecclesia Carnotensi, consensus suos concorditer direxerunt; dictusque sacrista Nivernensis, de voluntate reliquorum duorum collegarum suorum vice sua et dictorum capituli Romanensis ecclesie ac decani Diensis te in archiepiscopum Viennensem elegit. Cumque postmodum procu-

ratores utriusque partis ad Sedem Apostolicam pro prosecutione negotii electionum hujusmodi destinati, expositis in presentia felicis recordationis Nicolai pape predecessoris nostri ipsarum electionum processibus, vellent predictum negotium prosequi coram eo, idem predecessor attendens, quod nec tu, nec dictus cantor, nec aliqui electorum vestrorum per quos dictum negotium apud predictam Sedem plene instrui potuisset, tunc presentes eratis, providit citationem fore auctoritate litterarum apostolicarum sub certa forma in illis partibus faciendam, ut tu ac tres vel quatuor de tuis, ac prefatus cantor et totidem de suis electoribus, cum omnibus actis, juribus et munimentis vestris, coram predecessore compareretis eodem, infra certum vobis ad hoc terminum assignatum, ita quod si tu, seu prefatus cantor, ad ipsius predecessoris presentiam non veniretis in termino supradicto, vel infra dictum terminum aut quindecim dies terminum ipsum immediate sequentes non probaretis vos impedimento canonico impeditos, eo ipso caderetis ab omni jure vobis ex predictis vestris electionibus competenti. Hujusmodi autem citatione juxta prescriptam formam apud Viennenses et Romanenses ecclesias predictas emissa, quatuor ex canonicis ipsius ecclesie Viennensis pro parte dictorum decani et capituli ejusdem ecclesie Viennensis et procurator memorati cantoris, pro parte vero altera tu et tres canonici Romanensis ecclesie supradicte, vos propter hoc apostolico conspectui presentastis, dicto cantore destinante memorato predecessori suas litteras excusatorias continentes quod ipse propter defectum expensarum, quas de suis redditibus habere non poterat, ut dicebat, quasque nec bone memorie .. Valentinus episcopus, qui administrationem dicte Viennensis ecclesie tunc gerebat, nec dictum capitulum Viennense, licet super hoc cum instantia fuerit requisitum, ei ministrare volebant, coram eodem predecessore non poterat personaliter comparere, adiciendo quod si hujusmodi ejus excusatio, que veritatem habebat, insufficiens videretur, idem cantor omne jus sibi ex predicta electione quesitum in manibus predicti predecessoris ponebat. Cum autem pro parte tua et electorum tuorum coram sepedicto predecessore, facti narratione premissa, fuerit postulatum, ut prefatam electionem celebratam de te auctoritate apostolica confirmaret, lite super hoc inter partes legitime contestata, et de veritate dicenda prestito juramento, propositis hinc inde exceptionibus et exhibitis quibusdam articulis, instrumenta et alia jura utrinque producta fuerunt. Nuper vero prelibati decanus et capitulum dicte ecclesie Viennensis a nobis suppliciter petierunt, ut si absque ipsius Viennensis ecclesie prejudicio fieri posset, ita videlicet quod prefate Romanensis ecclesie, seu ipsius sacriste et capitulo in eo quod ipsi sacrista et capitulum Romanenses in electione archiepiscopi Viennensis se jus habere proponunt, nichil inde accresceret, dictisque decano et capitulo Viennensi, seu eorum ecclesie super hoc vel etiam alias non prejudicaretur in aliquo de te cui maturitas morum, munditia vite et litterarum scientia suffragantur, et per cujus industriam iidem decanus et capitulum asserebant prefatam Viennensem ecclesiam posse salubriter gubernari, providere ipsi Viennensi ecclesie dignaremur; tu omni juri libere in manibus nostris cessisti, si quod tibi ex predicta electione de te facta fuerat acquisitum. Nos igitur hujusmodi tua cessione recepta, attendentes dictum cantorem juxta tenorem premisse citationis a jure cecidisse, si quod ex predicta electione celebrata de ipso competebat eidem, cum impedimentum hujusmodi allegatum ab ipso quanquam an idem impedimentum legitimum foret non duxerimus declarandum, infra prescriptum tempus in predicta citatione contentum minime probavisset, ac de ordinatione ipsius Viennensis ecclesie salubri et celeri sollicite cogitantes, ne ipsa Viennensis ecclesia incomodis, que viduatis imminere solent ecclesiis, exposita remaneret, de te cujus clara merita sunt nobis et nostris fratribus non ignota, de ipsorum fratrorum consilio providimus eidem ecclesie Viennensi, preficiendo te ipsi Viennensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem : volentes ut nullum per hoc prefate Viennensi ecclesie, seu dictis decano et capitulo quo ad possessionem vel proprietatem juris eligendi archiepiscopum prejudicium generetur, sed illud sibi necnon et dicte Romanensi ecclesie et ejus capitulo jus si quod eis in hac parte competit, salvum et integrum remaneat sicut prius; tibique postmodum consecrationis munus nostris manibus duximus impendendum, et tradi fecimus pallium, quod est insigne pontificalis officii ad nomen et usum ejusdem ecclesie Viennensis; firma spe fidutiaque tenentes, quod eadem Viennensis ecclesia Deo auctore per tue industrie ac circumspectionis fructuosum studium preservabitur a noxiis et adversis, et spiritualibus et temporalibus profitiet incrementis. Tolle igitur jugum Domini tam leve collis humilibus quam suave, ac in dilectione Domini pascendum suscipe gregem ejus, super quem noctis vigilias diligens sollicitusque custodi, ut libere non pateat aditus invasori, nam Dominus insuspicabili hora venturus, si te invenerit sic agentem, cursu consumato qui tuo labori proponitur, et horum fide servato que tue sollicitudini committuntur, te fidelem compertum in modico, supra multa constituet, ac in dilecta gaudiorum suorum tabernacula introducat. Dat. apud Urbemveterem, XV kal. martii, anno secundo. »

In e. mo. decano et capitulo ecclesiae Viennensis quatinus ejusdem archiepiscopi monita et mandata suscipiant. — Dat. ut supra.

In e. mo. clero civitatis et diocesis Viennensis. — Dat. ut supra.

In e. mo. populo civitatis et diocesis Viennensis. — Dat. ut supra.

In e. mo. vassallis ecclesiae Viennensis quatinus praedicto archiepiscopo fidelitatem necnon servitia ac jura ei debita exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. suffraganeis ecclesiae Viennensis quatinus dicto archiepiscopo obedientiam et reverentiam debitam exhibeant. — Dat. ut supra.

253 Montefiascone, 17 novembre 1282.

Monasterio Criptae Ferratae per obitum Ylarii quondam abbatis vacante, cum per viam scrutinii Blasius, praefati monasterii tunc canonicus et sacrista electus fuisset, dicta electione domino Papae presentata, quamvis per G. tituli Sancti Martini presbiterum et Jordanum Sancti Eustachii diaconum cardinales examinata parum canonica reperta sit, ipsam tamen confirmat, dictoque Blasio per .. Tusculanum episcopum munus consecrationis impendi facit. — (Reg. 41, fol. 81 v°; ann. II, n° 123.)

« *Dilecto filio Blasio abbati monasterii Cripte Ferrate, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, Tusculani diocesis.* Commoda que vacantibus. — Dat. apud Montemflasconem, XV kal. decembris, anno secundo. »

In e. mo. .. preposito et conventus monasterii Cripte Ferrate, quatinus dicto abbati debitam reverentiam et obedientiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis ipsius monasterii quatinus de omnibus juribus eidem abbati debitis respondere curent. — Dat. ut supra.

254 Orvieto, 9 février 1283.

Inhibet ut Cluniacensis monasterii abbates redditus ad anniversaria facienda fratribus ministrandos, in proprios usus convertant. — (Reg. 41, fol. 82; ann. II, n° 124; — Potthast, n° 21983.)

« *Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii Cluniacensis.* Religionis vestre meretur honestas ut votis vestris favorabiliter annuamus. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod nonnulli tam vestri quam aliorum monasteriorum ordinis Cluniacensis abbates et priores de bonis per eorum industriam acquisitis, et etiam alii clerici et laici de rebus suis vobis, filii conventus, certos annuos redditus contulerunt ad ipsorum anniversaria in dicto vestro monasterio facienda, vobis tunc pro pitantia ministrandos. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate presentium districtius inhibemus, ut nullus abbas dicti monasterii vestri, qui fuerit pro tempore, redditus eosdem in proprios usus convertere absque Sedis Apostolice auctoritate presumat. Decernimus quoque, si secus super hoc actum fuerit, irritum et inane. Nulli ergo, nostre inhibitionis et constitutionis etc. — Dat. apud Urbemveterem, V idus februarii, anno secundo. »

255 Orvieto, 9 février 1283.

Abbati et conventui monasterii Cluniacensis, ex quorum parte coram papa fuit propositum quod nonnulli prioratus et domus in regno Franciae ad eorum monasterium spectantes, pro eo quod sub alicujus potentis saecularis guardia non consistunt, gravem nonnunquam sustinent laesionem, concedit facultatem subjiciendi praedictos prioratus ac domos guardiae regis Franciae, non obstante constitutione a Gregorio papa X super hoc in conciliio Lugdunensi edita. — (Reg. 41, fol. 82; ann. II, n° 125.)

« *Eisdem.* Ex parte vestra —. Dat. ut supra. »

256 Orvieto, 9 février 1283.

Abbati monasterii Cluniacensis concedendi tabellionatus officium duabus personis idoneis potestatem elargitur. — (Reg. 41, fol. 82; ann. II, n° 126.)

« .. *Abbati monasterii Cluniacensis.* Ex parte tua —. Dat. ut supra. »

257 Orvieto, 9 février 1283.

Abbati et conventui monasterii Cluniacensis, quorum nonnulli prioratus et domus in regno Franciae sub guardia quorundam comitum et aliorum nobilium consistunt, concedit ut, si praedicti comites ac nobiles hujusmodi guardiae renuntiaverint, eandem aliis concedere valeant. — (Reg. 41, fol. 82; ann. II, n° 127.)

« .. *Abbati et conventui monasterii Cluniacensis.* Ex parte vestra —. Dat. ut supra. »

258 Orvieto, 28 février 1283.

Cum in monasterio Sancte Marie de Pomposia per obitum Venturae abbatis vacante, Garsedonius, praedicti monasterii monachus, in abbatem electus fuisset, sed apud Apostolicam Sedem decessisset, Petro abbate monasterii Sancti Nicolai in Litore postmodum electo, sed hujusmodi electioni minime consentiente, provisionem Apostolico Sedi reservata, ipsum Petrum dicto monasterio praeficit in abbatem. — (Reg. 41, fol. 82; ann. II, nº 128.)

« *Petro abbati monasterii Sancte Marie de Pomposia ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Comaclensis diocesis.* Dudum monasterio Sancte Marie de Pomposia ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, Comaclensis diocesis, per obitum quondam Venture olim ipsius monasterii abatis vacante, dilecti filii ejusdem monasterii monachi, certa die ad eligendum prefixa, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, insimul convenerunt, et tandem quondam Garsedonium, predicti monasterii monachum, in suum et ipsius monasterii abbatem concorditer elegerunt, qui electioni hujusmodi de se facte suum infra tempus a jure statutum consensum impertiens, iter juxta formam edite super hoc novo constitutionis arripuit ad Romanam curiam veniendi, seque Apostolice Sedis conspectui presentavit. Cumque hujusmodi examinandi negotii facta per nos commissio extitisset, prefatus Garsedonius debitum nature persolvit. Sicque prefati monasterii monachi, certa die ad eligendum statuta, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt com[m]ode interesse, ipsisque monachis, aliquibus eorum per se, aliquibus vero per procuratores suos insimul congregatis, excepto quodam excommunicationis vinculo innodato qui se participio rebellium Ecclesie in Romaniola duxerat, Dei timore postposito, temere immiscendum, convenientes in unum et per viam compromissi procedere eligentes, assumpserunt tres ex eis quibus eligendi tres alios ipsius monasterii monachos compromissarios potestatem liberam contulerunt, concessa hujusmodi compromissariis a toto monasterii sepefati conventu per electionem vel postulationem, ipsi monasterio potestate plenaria providendi. Qui quidem compromissarii electi secedentes in partem, diversis inter se tractatibus habitis, te, tunc abbatem monasterii Sancti Nicolai in Litore, predicti ordinis, Castellane diocesis, eligendo postularunt, et prout hoc melius posset de jure valere, postulando concorditer elegerunt, tuque postmodum, in nostra propterea presentia constitutus, sponte ac libere juri, si quod tibi ex electione seu postulatione hujusmodi competere poterat, expresse renuntiare curasti. Nos vero, hujusmodi renuntiationem tuam benignius admittentes, provisionem ipsius monasterii hac vice de fratrum nostrorum consilio dispositioni Sedis Apostolice duximus reservandam. Attendentes itaque laudabile testimonium quod tibi de probitatis multiplicis meritis perhibetur, et considerantes unanimitatem et concordiam predicti conventus te in ipsorum abbatem cum multa instantia postulantis, ac volentes obviare dispendiis que solent monasteriis ex vacatione diutina imminere, te de fratrum ipsorum consilio a cura predicti monasterii Sancti Nicolai cujus preeras regimini absolvendo, eidem monasterio de Pomposia prefecimus in abbatem, plenam et liberam administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, firma concepta fidutia quod dirigente Domino actus tuos, prefatum Sancte Marie monasterium per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, eique salubria, dante Domino, provenient incrementa. Suscipiens itaque reverenter impositum a Domino tibi onus, sollicitam ipsius monasterii curam geras, gregem dominicum in illo tue discretioni commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod prefatum monasterium Sancte Marie per tue vigilantie studium, votivis proficere com[m]odis et felicibus letari valeat incrementis —. Dat. apud Urbemveterem, II kal. martii, anno secundo. »

In e. mo. .. priori et conventui monasterii Sanctae Mariae de Pomposia, quatinus eidem abbati debitam reverentiam et obedientiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis dicti monasterii quatinus de juribus eidem abbati debitis respondere curent. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis abbatibus et prioribus dicti monasterii immediate subjectis mandat quatinus, etc. ut in illa que scribitur conventui.

259 Orvieto, 28 février 1283.

Monasterio Sancti Michaelis de Clusa abbatis regimine destituto, cum duae electiones, celebratae fuissent videlicet de Ricardo de Vileta, ejusdem monasterii monacho, et de Barnaba, predictis electis ad Sedem Apostolicam accedentibus, et in manibus Hugonis tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiteri cardinalis, cui hujusmodi negocii cura commissa fuerat, omni juri sibi competenti renuntiantibus, provisione dicti monasterii eidem Sedi reservata, Raymundum, tunc priorem de Monte Sanctarum puellarum, ordinis Sancti Benedicti, Tholosanae diocesis, capellanum L. Ostiensis et Velletrensis episcopi, jamdicto monasterio Sancti Michaelis de Clusa praeficit in abbatem. — (Reg. 41, fol. 83; ann. II, nº 129.)

« *Raymundo abbati monasterii sanctis Michaelis de Clusa*

ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, *ordinis sancti Benedicti*, *Taurinensis diocesis.* Inter curas multiplices —. Dat. apud Urbemveterem, II kal. martii, anno secundo. »

In e. mo. conventui monasterii Sancti Michaelis de Clusa quatinus dicto abbati debitam obedientiam et reverentiam impendant.

In e. mo. universis abbatibus monasteriorum et prioribus prioratuum et membrorum dicto monasterio Sancti Michaelis subjectorum.

In e. mo. universis vassalis dicti monasterii quatinus jura eidem abbati debita exhibere curent.

260 Orvieto, 27 février 1283.

Monasterio Farfensi per necem Morici quondam ipsius abbatis vacanti, electione de fratre Philippo de Collibus, monacho Sublacensi, facta sed a Sedi Apostolica non admissa, Hugonem, tunc priorem monasterii Sancti Michaelis de Clusa, praeficit in abbatem. — (Reg. 41, fol. 83 v°; ann. II, n° 130.)

« *Dilecto filio Hugoni abbati monasterii Farfensi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti*, *Sabinensis diocesis.* Debitum officii nostri —. Sane monasterio Farfensi ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, Sabinensis diocesis, per obitum quondam Morici abbatis ejusdem monasterii qui in castro Toffie a quibusdam suis emulis fuit miserabiliter interfectus, pastoris regimine destituto, certaque die ad providendum dicto monasterio de pastore per conventum ipsius monasterii assignata, quidam ex monachis dicti monasterii existentes infra septa ejusdem monasterii, quod tunc erat per nonnullos armatos temere occupatum, fratrem Stephanum, ordinis Predicatorum, natione Romanum, ad dicti monasterii regimen postularunt; reliqui vero ipsius monasterii monachi extra illud propter metum eorundem armatorum manentes, fratrem Phylippum de Collibus, monachum monasterii Sublacensis, predicti ordinis per viam compromissi in abbatem monasterii prefati Farfensis, ut dicitur, elegerunt. Hujusmodi autem postulatione, que nobis ex parte ipsorum postulantium presentata extitit, a nobis de fratrum nostrorum consilio non admissa, dictus frater Phylippus, juri si quod sibi ex electione hujusmodi competebat, in nostris manibus renuntiavit expresse. Nos igitur de ipsius Farfensis monasterii provisione salubri sollicite cogitantes, ne idem Farfense monasterium ex vacatione diutina possct incurrere detrimentum, deliberatione super hoc habita diligenti, demum in te, tunc priorem monasterii Sancti Michaelis de Clusa predicti ordinis, Taurinensis diocesis, nostre mentis oculos duximus convertendos, teque de predictorum fratrum consilio, prefecimus eidem Farfensi monasterio in abbatem, firmam spem fidutiamque tenentes quod cum esse dicaris vir honestus et providus, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectus, dictum monasterium Farfense per tuam industriam, in aliis administrationibus olim commissis tue sollicitudine comprobatam, Deo propitio a noxiis preservabitur et adversis, regularibus quoque institutis profitiet, ac alias spiritualiter et temporaliter augmenta suscipiet co[m]modi et honoris. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum a Domino tibi onus suscipiens reverenter, curam et administrationem ejusdem monasterii Farfensis sic diligenter geras, et sollicite prosequaris, quod monasterium ipsum gubernatori circumspecto ac fructuoso amministratori gaudeat se commissum, et bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus, latius diffundatur, ac preter benedictionis eterne premium benivolentie nostre gratiam plenius consequaris. Dat. apud Urbemveterem, III kal. martii, anno secundo. »

In e. mo. conventui monasterii Farfensis, quatinus dicto abbati debitam obedientiam et reverentiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis ejusdem monasterii quatinus jura eidem dicto abbati debita exhibere studeant. — Dat. ut supra.

261 Orvieto, 29 janvier 1283.

Monasterio Corbeiensi per obitum Thymonis abbatis vacanti, Henricum ipsius monasterii monachum et praepositum, nonobstante defectu natalium, praeficit in abbatem. — (Reg. 41, fol. 83 v°; ann. II, n° 131.)

« *Dilecto filio Henrico abbati monasterii Corbegensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Padeburnensis diocesis.* Debitum officii nostri —. Sane monasterio Corbegense, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, Padeburnensis diocesis, olim per obitum Thymonis quondam abbatis ejusdem monasterii destituto pastore, dilecti filii conventus ipsius monasterii convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, te, tunc prepositum et monachum dicti monasterii patientem in etate defectum, in abbatem prefati monasterii concorditer postularunt. Et licet postulatio hujusmodi ex parte dictorum conventus felicis recordationis Gregorio pape X, predecessori

nostro, presentata fuisset, tamen propter diversas occupationes Sedi Apostolice ingerentes, et alia impedimenta supervenientia huc usque dicte postulationis negotium est protactum. Nuper autem postulationem ipsam, et tui postulati personam examinari fecimus diligenter, dictamque postulationem, non persone tue vitio, sed ex aliis certis causis non duximus admittendam, ac demum de prefati monasterii celeri provisione sollicite cogitantes, et volentes monasterium ipsum a detrimentis que potuisset ex prolixiori vacatione incurrere preservare, in personam tuam direximus oculos nostre mentis, ac de fratrum nostrorum consilio de te prefato monasterio providentes, prefecimus te ipsi monasterio in abbatem; firma concepta fidutia, etc. Dat. apud Urbemveterem, IIII kal. februarii, anno secundo. »

In e. mo. .. priori et conventui monasterii Corbegensis, quatinus dicto abbati debitam reverentiam et obedientiam exhibeant. — Dat. ut supra.

In e. mo. universis vassallis dicti monasterii quatinus eidem abbati jura debita exhibere studeant.

262 Orvieto, 21 janvier 1283.

Magistro Giffredo de Vezano canonico Cameracensi et nuntio suo in Anglia mandat quatinus archiepiscopum Cantuariensem et quosdam clericos moneat ut infra quindecim dierum spatium Thedisio de Camilla, capellano papae, rectori de Wingham et de Terringes ecclesiarum, quasdam restituant ecclesias, quas idem archiepiscopus ipso Thedisio abtulit, dictisque clericis attribuit, quamvis dicto Thedisio a Sedi Apostolica indultum esset, ut fructus dictarum ecclesiarum percipere valeret etiam si in ipsis personaliter non resideret. — (Reg. 41, fol. 84; ann. II, nº 132.)

« *Magistro Giffredo de Vezano, canonico Cameracensi et nuntio nostro in Anglia.* Dilectus filius Thedisius de Camilla, capellanus noster, rector de Wingham et de Terringes ecclesiarum, Cantuariensis et Cicestrensis diocesium, quas idem capellanus ex dispensatione Sedis Apostolice se retinere proponit, petitione monuit, quod dum capellanus ipse qui sibi ab eadem Sedi dicit esse concessam, ut in ejus absentia fructus, redditus et proventus ecclesiarum ipsarum, cum ea integritate percipere valeat cum qua illos perciperet si in eisdem ecclesiis personaliter resideret, apud Sedem moraretur eandem, venerabilis frater noster .. archiepiscopus Cantuariensis, predictum capellanum non citatum legitime sine causa rationabili per magistrum Hymbertum de Hyenna clericum, motu proprio, post appellationem ab eodem capellano ad Sedem ipsam legitime interjectam, de facto privari fecit ecclesiis supradictis, propter quod ex parte ipsius capellani ad Sedem ipsam iterato extitit appellatum; at idem archiepiscopus, appellationibus hujusmodi vilipensis, predictam ecclesiam de Wingham magistris Rogero de Rowellere, Anselmo de Estria, Willelmo de Sardeyne, et Johanni de Knovyle, clericis, Cantuariensis et Lincolniensis diocesium, prefatam vero ecclesiam de Terringes magistris Roberto de Lacy et Martino de Hamptone, clericis earundem Lincolniensis et Cicestrensis diocesium minus juste contulisse dicitur, vel etiam commendasse, propter quod prefatus capellanus, quamcito id ad ejus pervenit notitiam, ad eandem Sedem vocem appellationis emisit. Quare dictus capellanus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc paterna diligentia curaremus. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus per te vel per alium; seu alios vocatis, qui fuerint evocandi, si tibi de plano et sine strepitu et figura judicii constiterit ita esse, archiepiscopum et clericos memoratos ex parte nostra moneas ut, infra quindecim dierum spatium post monitionem hujusmodi, dictus archiepiscopus prefato capellano ecclesias predictas restituat, dictique clerici illas omnino dimittant, et tam archiepiscopus ipse quam iidem clerici dictum capellanum super eisdem ecclesiis aliquatenus non molestent, sibique de fructibus medio tempore perceptis et qui percipi potuerunt, et rebus aliis ablatis ab ipsis ecclesiis plenariam satisfactionem impendant, alioquin archiepiscopum et clericos supradictos ac alios quoscumque inveneris ipsas ecclesias detinere, ex parte nostra peremptorie citare, procures, ut infra tres menses predictos quindecim dies immediate sequentes per se vel per procuratores ydoneos apostolico se conspectui representent, facturi et recepturi super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis et formam et quicquid super hiis duxeris faciendum nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures. Dat. apud Urbemveterem, XII kal. februarii, anno secundo. »

263 Orvieto, 9 février 1283.

Archiepiscopo Turonensi mandat quatinus processum super negocio matrimonii quod Mauritius de Castro Muri et Sibilia, quarto consanguinitatis gradu conjuncti, contraxerunt, a Pictavensi episcopo factum, examinet, ac si ei constat dictum episcopum ultra modum mandati sui excessisse et a praefatis conjugibus decimas indebite exegisse, de praemissis providere curet. — (Reg. 41, fol. 84 vº; ann. II, nº 133.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Turonensi.* Sua nobis

dilectus filius nobilis vir Mauritius de Castro Muri et dilecta in Christo filia nobilis mulier Sibilia uxor ejus Pictavensis diocesis petitione monuerunt, quod olim ipsis intimantibus nobis quod iidem ad sedandas graves inimicitias et guerrarum discrimina sopienda, quas olim inter ipsorum consanguineos et amicos pacis emulus suscitarat, quarumque occasione hinc inde personarum pericula multa provenerant, in fatie ecclesie matrimonium invicem per verba contraxarant de presenti, et carnali copula subsecuta diutius insimul permanserant, ignari tamen, tempore matrimonii supradicti, quod aliqua esset consanguinitas inter eos, quodque postmodum ad eorum notitiam pervenerat, quod ipsi quarto erant gradu consanguinitatis conjuncti, propter quod non poterant in hujusmodi matrimonio remanere, et quod ex separatione dicti matrimonii, si fieret, poterant sequi pejora prioribus, et multa etiam homicidia provenire, ac scandala gravia suscitari, ac supplicantibus nobis humiliter, ut animarum et corporum obviantes dispendiis, cum eis quod, impedimento hujusmodi non obstante, in prefato matrimonio licite remanere possent dignaremur misericorditer dispensare, prolem suscipiendam ab eis legitimam decernendo. Nos venerabili fratri nostro .. Pictavensi episcopo nostris dedimus litteris in mandatis, ut si Mauritius et Sibilia predicti, proprio coram eodem episcopo ab eis tactis sacrosanctis Evangeliis corporaliter prestito juramento firmarent, quod ipsi, tempore contracti matrimonii memorati impedimentum hujusmodi ignorabant, si etiam per testes idoneos et juratos per ipsum diligentius inquisitos inveniret quod si inter eosdem M. et S. contingeret divortium celebrari non levia occasione hujusmodi scandala orirentur, ipse ex tunc predictis Mauritio et Sibilie imposita propter hoc penitentia salutari, cum eis, si secundum Deum expedire videret, super quo tuam intendebamus conscientiam onerare, quod impedimento non obstante predicto, in eodem sic contracto matrimonio licite remanere valerent, auctoritate nostra dispensaret prolem suscipiendam ab eis legitimam decernendo. Et licet predicti Mauritius et Sibilia, juramento ab eis coram eodem episcopo prestito, firmavissent se ignaros fuisse ejusdem impedimenti tempore contracti matrimonii supradicti ac per testes super hoc ab episcopo ipso receptos constitisset eidem quod ex separatione ipsius matrimonii, si fieret, gravia scandala orirentur, iidemque nobiles parati essent salutarem penitentiam adimplere, quam eis dictus episcopus juxta formam predictarum litterarum duceret injungendam, idem tamen episcopus formam eandem excedens, ab ipsis necnon nobili viro Gaufrido, patre dicte Sibilie, quod iidem M. et S. penitentiam eis ab ipso episcopo injungendam peragerent, exegit corporaliter juramentum, et sequens proprie voluntatis impulsum, non judicium rationis, dictis Mauritio et Sibilie sub debito prestiti juramenti mandavit ut ipsi nullatenus impedirent nec se opponerent quominus decime in terris sub dominio predictorum M. et S. consistentibus parrochialibus ecclesiis solverentur, et quod iidem M. et S. solverent, et ab hominibus terre sue solvi facerent ecclesiis parrochialibus decimas novalium dicte terre, quanquam terra ubi hujusmodi decime consistunt a carissimo in Christo filio nostro .. illustri rege Francie teneantur, nec unquam decime ipse fuerint ecclesiis persolute et quod quandam compositionem inter quondam Mauritium de Bellavilla, patruum dicti M., cujus idem M. heres existit, et homines terre sue de non ampliandis guarenis extra nemora ipsius Mauritii observaret; et nichilominus Mauritius millo, Sibilia vero predicti quingentas libras turonensium episcopo predicto persolverent, in usus quos idem episcopus eligeret convertendas ; iidem quoque nobiles verisimiliter formidantes, quod si dictus episcopus perpendisset eos velle mandato hujusmodi contraire, ad dispensationem hujusmodi faciendam, cum dictis M. et S. secundum predictarum litterarum tenorem nullatenus processisset, responderunt super hoc interrogati ab eo quod intendebant mandatum ipsum efficaciter adimplere. Sicque idem episcopus super dicto impedimento cum prefatis M. et S. juxta litterarum ipsius continentiam dispensavit. Dicti autem M. et S., attendentes quod prefatus episcopus juramentum de adimplenda penitentia, ipsis super hoc ab eo imponenda, sic exigere, ac eis tale mandatum facere virtute litterarum ipsarum quarum ad hoc se non extendebat auctoritas, non valebat, quodque ipsi in solutione hujusmodi quantitatum pecunie nimium gravarentur maxime cum terra que fuit dicti patrui M. ejusdem et in qua ipse sibi hereditario jure succedit, pro solvendis legatis et debitis ipsius patrui ab executionibus testamenti ejusdem patrui detineri noscitur, dictaque Sibilia nulla bona habeat, unde predictam impositam sibi pecuniam valeat exhibere ad nostram super hoc duxerunt providentiam recurrendum, nobis humiliter supplicantes, ut cum ex premissis liquido appareat dictum ejusdem mandatum episcopi penam potius quam penitentiam continere, congruum super hoc adhibere remedium paterna diligentia curaremus. Nos igitur volentes super hoc salubriter providere, de tua quoque circumspectione plenam in Domino fidutiam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus processum per eundem episcopum in premissis habitum tibi faciens exhiberi, si rem inveneris ita esse, inspectis et consideratis facti circumstantiis universis, provideas super premissis et specialiter circa

dictum mandatum et salutarem eisdem Mauritio et Sibilie penitentiam injungendam, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, prout secundum Deum videris expedire, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi. Dat. apud Urbemveterem, V idus februarii, anno secundo. »

264 Orvieto, 22 février 1283.

Johanni Valentino et Diensi episcopo concedit ut abbatiam monasterii de Sancto Secano, cujus promotionis sue tempori abbas existebat, usque ad festum beati Johannis Baptistae proxime venturum, ac deinde per triennium, retinere valeat. — (Reg. 41, fol. 85; ann. II, nº 134.)

« *Venerabili fratri Johanni Valentino et Diensi episcopo.* Dum devotionem magnam —. Propter hoc siquidem volentes personam tuam speciali prosequi gratia et favore ac considerantes, quod redditus episcopatus tui, qui propter sui vacationem hucusque dispendiosis anfractibus fluctuans, est ere alieno gravatus et alias malitia temporis faciente, esse dicuntur non modicum diminuti, quodque monasterium de Sancto Secano, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, cujus abbas promotionis tue tempore existebas, adhuc per sollicitudinem tuam, que ad salubrem statum suum hactenus multipliciter laboravit, poterit in melius restaurari, tuis supplicationibus inclinati, quod abbatiam dicti monasterii ac ejus administrationem in spiritualibus et temporalibus ex nunc una cum predicto episcopatu usque ad festum beati Johannis Baptiste proximo venturum, et deinde per triennium ab eodem festo in antea numerandum, licite retinere ac habere, necnon ut abbas ipsius monasterii in personas ejusdem quotiens oportunum fuerit interim ecclesiasticam censuram exercere libere possis, constitutione aliqua contraria super hoc edita non obstante, fraternitati tue auctoritate presentium indulgemus; districtius inhibentes, ne quis ad electionem seu postulationem alicujus in abbatem ipsius monasterii medio tempore faciendam procedere quoquo modo presumat. Nos ei ex nunc decernimus irritum et inane, quicquid contra hujusmodi concessionis et inhibitionis nostre tenorem per quoscumque quavis auctoritate contigerit attemptari. Nulli ergo etc., nostre concessionis etc. Dat. apud Urbemveterem, VIII kal. martii, anno secundo. »

265 Orvieto, 9 février 1283.

Abbati et conventui monasterii Cluniacensis ecclesiam Sancti Petri de Castanea Viterbiensem ejusque officinas cum horto juxta ecclesiam ipsam sito in quibus fratres de Poenitentia Jesu Christi hactenus permanserunt et quae ab eisdem fratribus derelictae in Sedis Apostolicae dispositione consistunt, confert, ita quod in praedicta ecclesia per personas idoneas deserviri faciant. — (Reg. 41, fol. 85 vº; ann. II, nº 135; — Potthast, nº 21984.)

« .. *abbati et conventui monasterii Cluniacensis.* Ex parte vestra —. Dat. apud Urbemveterem, V idus februarii, anno secundo. »

In e. mo. magistris Berardo de Neapoli, priori Sancti Nicolai Barensis notario, et Nicolao de Terracena Lexoviensi capellanis papae, ac Ramboto in Romana curia commoranti, Camerinensibus archidiaconis, mandat quatinus praedictos abbatem et conventum vel ipsorum procuratorem in corporalem possessionem rerum praedictarum inducant et inductos defendant. — Dat. ut supra.

Orvieto, 25 février 1283.

In e. mo. pro eisdem abbate et conventu de domo Avinionensi sub : Dat. apud Urbemveterem, V kal. martii, anno secundo.

Orvieto, 25 février 1283.

In e. mo. ut in executoria superiori, dilectis filiis .. preposito et .. sacriste ecclesie Aurasicensis ac magistro Pontio de Narbona canonico Carpentoratensi. Ex parte dilectorum —. Dat. apud Urbemveterem, V kal. martii, pontificatus nostri anno secundo.

FIN DES COMMUNES DE LA DEUXIÈME ANNÉE.

INCIPIT REGESTRUM LITTERARUM CURIE SECUNDI ANNI

DOMINI MARTINI PAPE IIII

---

266 Orvieto, 26 mars 1282.

Contra Guidonem de Montefeltro, stipendiarios atque capitaneum, consilium et universitatem partis Lambertatiorum de Bononia et alios complices ejus tam in Tuscia quam in diversis aliis partibus Romaniola contra ecclesiam rebellantes processus habitos promulgat. — (Reg. 41, fol. 91; ann. II, Cur. nº 1; — Potthast, nº 21874.)

« *Processus contra Guidonem dictum Comitem Montisferetri in die Cene Domini.* Graves et enormes excessus jam in remotis partibus divulgatos quos Guido dictus comes Montisferetri, per antique quinpotius antiquate indevotionis oberrans invia, contra Romanam ecclesiam ejusque devotos a longis retrotemporibus commississe dinoscitur et adhuc continuata presumptionis audacia committere non veretur preterire (1) silentio vel impunitos relinquere non debemus ne id impune deliquisse se gaudeat sibique ad glorie titulum multitudinem sue dampnate iniquitatis ascribat. Dudum siquidem dictus Guido pro eo quod quondam Manfredo Principi Tarentino et deinde Conradino, quondam Frederici olim Romani Imperatoris nepoti, nec non et Henrico, carissimi in Christo filii nostri .. Regis Castelle ac Legionis illustris germano, eandem ecclesiam persequentibus et excommunicatis adheserat, diversis per felicis recordationis Urbanum et Clementem Romanos Pontifices predecessores nostros excommunicationum sententiis innodatus, demum per venerabilem fratrem nostrum Latinum Ostiensem episcopum tunc in partibus illis Apostolice Sedis legatum de speciali mandato pie memorie N. pape III predecessoris nostri benigne in forma ecclesie a predictis sententiis extitit absolutus, eidem inter cetera expresse per eumdem legatum injuncto sub debito prestiti juramenti, quod nunquam ex tunc Romanam impugnaret ecclesiam aut impugnantibus daret consilium, auxilium vel favorem, et promissione ac fidejussoribus sub pena quinque milium marcharum argenti receptis ab eo quod numquam presumeret contrarium attemptare, verum idem G., quamquam postmodum eidem ecclesie fidelitatis prestiterit juramentum, ipsius ecclesie dominium in provincia Romaniole recognoscens, tamen quasi recepti beneficii penitus immemor et ad gratiam in eadem absolutione perceptam prorsus ingratus et promisse fidei seu fidelitatis infractos nec perjurii reatum abhorrens, resumpto solite rebellionis spiritu, associatis sibi parte Lambertatiorum de Bononia et nonnullis aliis tam de Tuscia quam de diversis aliis partibus, ecclesiam ipsam non est veritus multipliciter impugnare, civitates Forlivii, Forimpoli, Cesene, Cervie, Castrum Brectenorii et alia loca in eadem provintia ad eandem ecclesiam pleno jure spectantia occupando et devotos ipsius ecclesie provintie memorate cum predictis suis complicibus et stipendiariis, quos ad hoc congregavit, multimodis impugnando, ac dilecto filio magistro Guillelmo Durandi capellano et in dicta provintia in spiritualibus nostro vicario, decano ecclesie Carnotensis et nobili viro Johanni de Epa, per nos ad regendam eandem provintiam destinato, contumaciter resistendo ip-

(1) Preterite, *ms.*

sosque in officiorum executione suorum impediendo multiphariam, non sine gravibus ejusdem ecclesie dampnis, injuriis et expensis propter quod idem vicarius, habens ad hoc a Sede Apostolica potestatem, primo ipsum Guidonem ut infra certum terminum quem ad hoc assignavit eidem civitates, castrum et loca predicta libera et vacua ecclesie Romane dimitteret et postmodum omnes stipendiarios et complices suos alienigenas, quampluribus ex eis nominatim expressis, quod infra eundem terminum dictam civitatem Forlivii ejusque districtum exirent omnino, ad ea vel ad alia loca predicta nullatenus reversuri, potestatem quoque, capitaneum consilium et commune ac omnes et singulos incolas ejusdem civitatis Forlivii quod infra terminum memoratum Guidonem et omnes predictos stipendiarios alienigenas cum effectu licentiarent, nullum ex eis in civitate vel districtu predictis morari ulterius permissuri, neque ipsis Guidoni comiti vel complicibus prebituri auxilium, consilium vel favorem, et quod ad obedientiam et mandata ipsius ecclesie dictique rectoris provintie (1) memorate venirent sub excommunicationis et penarum diversarum comminatione quas incurrerent si ejus monitionibus non parerent publice monere curavit. Monuit insuper simili modo clericos, religiosos et laicos prefate civitatis Forlivii ut nullus ipsorum dicto Guidoni consilium vel favorem impenderet in premissis verbo vel opere, publice vel occulte, quodque iidem clerici et religiosi nisi prefati cives Forlivii premissis ejus monitionibus parerent, infra terminum supradictum civitatem ipsam ejusque diocesim infra X dies eumdem terminum immediate sequentes omnino desererent et ad locum alium se transferrent, ad ea nullatenus reversuri absque Sedis Apostolice vel sua licentia speciali. Et quia eidem vicario constitit predictis suis monitionibus paritum non fuisse, prefatos Guidonem et alios non parentes denuntiavit excommunicationis sententias et alias penas juxta premisse comminationis seriem incurrisse, prout in ipsius vicarii processibus hec alia plenius et apertius continentur. Nos autem, non intendentes eisdem memorati vicarii processibus in aliquo derogare, sed ad salutem Guidonis aliorumque predictorum pio suspirantes affectu, ut probaremus an ipsos ad sinum matris ecclesie mansuetudine quam in nostris actibus libenter amplectimur revocare possemus, vel saltem ipsius complicumque suorum manifestior iniquitas fieret et evidentius justitia nostri futuri contra eos imposterum processus gravioris, si benignitate nostre mansuetudinis eos abuti contingeret, eluceret, penales processus excedentium demeritis et excessum evidentie debitos tunc misericorditer sustinentes, Guidonem, complices et stipendiarios memoratos, et specialiter capitaneum, consilium et universitatem dicte partis Lambertatiorum de Bononia, qui cum eodem Guidone civitatem Forlivii occuparunt, occupatam detinuerunt et detinere tunc etiam dicebantur ac ipsius Guidonis in turbatione dicte provincie commissisque inibi excessibus extiterunt complices et existebant, potestates quoque, capitaneos consiliarios et omnes alios per quos civitates et precipue Forlivii et alia loca predicta regebantur, nec non et universitates civitatum et locorum ipsorum in festo Dedicationis Basilice principis Apostolorum proximo preterito, apud civitatem Urbevetanam in platea majoris ecclesie civitatis ejusdem, presente tunc fidelium multitudine copiosa, monuimus ut memorati Guido, stipendiarii et alii complices alienigene infra mensem computandum ex tunc, quem quidem mensem ad hoc peremptorium assignavimus terminum, de predictis civitatibus et locis aliis occupatis penitus recedentes, ea omnia et singula eidem ecclesie libere ac in pace dimitterent, nec ipsa vel alia loca ejusdem provintie ulterius occupare vel ea seu devotos ipsius ecclesie de cetero quoquomodo molestare vel impedire attemptarent; dictus quoque Guido ad faciendum super dicta pena quinque milium marcharum quod justitia suaderet, per se vel per procuratorem ydoneum infra dictum mensem coram nobis comparere curaret; potestates vero, capitanei, consiliarii ceterique rectores civitatum et locorum eorumdem ac universitates ipsorum eosdem Guidonem stipendiarios et complices de civitatibus et locis predictis licentiarent et ea exire compellerent, eos in ejusdem ecclesie rebellione manentes nunquam ulterius admissuri; et nichilominus tam Guido, stipendiarii et complices sepefati et specialiter predicti capitaneus, consilium et universitas Lambertatiorum quam potestates, capitanei, consiliarii civitatum et locorum predictorum ac universitates eorum infra tunc instans festum Cathedre principis Apostolorum proximo preteritum, quod eis ad infrascripta pro peremptorio termino deputavimus, ad nostra et ipsius ecclesie mandata precise et humiliter redeuntes, de injuriis, dampnis et expensis predictis nobis et eidem ecclesie plenariam satisfactionem impenderent, super omnibus et singulis suis excessibus contra eandem commissis ecclesiam nostris ac ipsius mandatis et beneplacitis parituri; quod si premissis nostris monitionibus parere contempnerent, omnes quidem singulares personas eisdem monitionibus contumaciter non parentes excommunicationis, universitates vero interdicti sententiis quas ex tunc in eis tulimus et elapsis prefatis terminis decrevimus subjacere, non obstante qualibet indulgentia sub quacumque forma verborum ipsis ab Apostolica Sede con-

(1) Le mot *provintie* est répété deux fois dans le Registre.

cessa, quam quoad hoc juribus duximus vacuandum; et nichilominus contra ipsas singulares personas ad privandum eas honoribus et officiis, si qua obtinerent, et reddendum inhabiles ad ea vel ad alia obtinenda et ad privationem feudorum et aliorum bonorum, si qua forsan a quibuslibet tenent ecclesiis, omniumque immunitatum et privilegiorum, si qua forsitan obtinerent; contra universitates vero que essent episcopalibus dignitatibus insignite, ad privandum ipsas eisdem et alias gravius tam contra ipsas universitates quam contra singulares personas spiritualiter et temporaliter, prout fore putaremus expediens, actore Domino procedere curaremus. Quia vero Guido, stipendiarii et complices memorati, et specialiter predicti capitaneus, consilium et universitas Lambertatiorum necnon et potestates, capitanei, consiliarii civitatum et locorum ipsorum ac eorundem universitates in suis iniquitatibus et malitiis perdurantes nostris hujusmodi parere monitionibus contempserunt, nos, ipsorum contumatia seu protervia exigente, omnes prefatas singulares personas excommunicationis et universitates interdicti premissas incurrisse sententias declaramus, memoratum Guidonem tanquam rebellem et hostem Romane ecclesie ac violatorem fidelitatis ipsius ecclesie prestite manifestum suorumque jurium invasorem, occupatorem et detemptorem sacrilegum, et tanquam inimicorum et rebellium ejusdem ecclesie ipsorumque complicum ductorem, precipuum et publicum protectorem, ac etiam jam dictas singulares personas comitatus honore, potestariis regiminibus, judicatus, tabellionatus officio et aliis honoribus et officiis, gratiis, immunitatibus, privilegiis omnibus, ac insuper feudis et bonis aliis, que a Romanis vel quibuslibet aliis habent vel obtinent, apostolica auctoritate privantes, ipsosque Guidonem et personas reddimus inhabiles ad honores et officia predicta vel alia obtinendum. Inhibemus autem prelatis et collegiis ecclesiarum quarumlibet ceterisque personis ecclesiasticis, et specialiter venerabili fratri nostro .. archiepiscopo et dilectis filiis capitulo Pisanis, a quibus vel quorum aliquo prefata bona vel feuda tenentur, ne de feudis et bonis ipsis, nisi prius speciali super hoc Sedis Apostolice obtenta licentia, quomodolibet attemptare, disponere seu ordinare presumant. Nos enim irritum decernimus et inane si super hiis secus extiterit attemptatum. Nominatim autem Guidonem, pro eo quod ad satisfaciendum super eadem, quinque milium marcharum pena quod justitia suaderet, per se vel per procuratorem ydoneum in prefixo sibi termino comparere coram nobis contumaciter non curavit, propter hujusmodi suam contumaciam manifestam excommunicationis vinculo innodamus, nichilominus monentes Guidonem, complices et stipendiarios memoratos et specialiter capitaneum, consilium et universitatem dicte partis Lambertatiorum de Bononia, potestates quoque, capitaneos consiliarios et omnes alios per quos civitates, precipue Forlivii, Cervie ac Cesene et alia loca predicta reguntur, necnon et universitates civitatum et locorum ipsorum, ut memorati Guido, stipendiarii et alii complices alienigene de predictis civitatibus et locis aliis occupatis penitus recedentes, ea omnia et singula eidem ecclesie libere ac in pace dimittant, nec ipsa vel alia loca ejusdem provintie ulterius occupare, vel ea seu devotos ipsius ecclesie de cetero quoquomodo impetere vel molestare presumant; potestates vero, capitanei, consiliarii ceterique rectores civitatum et locorum eorundem ac universitates ipsorum eosdem G., stipendiarios et complices de civitatibus et locis predictis licentient et ea exire compellant, eos in ejusdem ecclesie rebellione manentes nunquam ulterius admissuri, et nichilominus idem G., infra unius mensis spatium computandum ex tunc, quem sibi pro peremptorio termino assignamus, per se vel per ydoneum procuratorem legitime compareat coram nobis, de dicta pena quinque milium marcharum, ac ipse G. et omnes et singuli supradicti de injuriis, dampnis et expensis predictis, ac nichilominus de fructibus, redditibus, proventibus et aliis quibuscumque obventionibus predictorum locorum et terrarum ad ecclesiam ipsam spectantium nobis et ipsi ecclesie satisfactionem plenariam impensuri, alioquin ex tunc absque citatione alia, cum hanc quoad premissa et infrascripta etiam pro citatione peremptoria omnino haberi velimus, ad condempnationem ipsius G. et aliorum predictorum super eisdem pena, dampnis, injuriis et expensis, fructibus, redditibus, proventibus et obventionibus et alias etiam contra ipsos spiritualiter et temporaliter prout expedire viderimus, procedemus. Ceterum justum animi nostri motum benignitatis mansuetudine temperantes ac experiri volentes si predicte Forlivii, Cesene et Cervie civitates ac universitates Castri Bertenorii et aliorum locorum predictorum G. et complicibus adherentium prelibatis ac in sua indevotione ac rebellione persistant, civitates et universitates easdem, presente hac fidelium multitudine copiosa, monemus quod predictos G., stipendiarios et complices de civitatibus et locis eisdem omnino licentient et ea penitus exire compellant, illos in rebellione hujusmodi permanentes nunquam ulterius admissuri, ac nichilominus infra mensem computandum ex nunc, quem sibi pro peremptorio termino assignamus, nobis et ecclesie memorate de injuriis, dampnis et expensis eisdem, ac fructibus, redditibus proventibus et obventionibus supradictis plenariam satisfactionem impendant, alioquin ex nunc civitates, universitates et loca predicta honoribus,

privilegiis, libertatibus, immunitatibus et gratiis ac juribus universis, feudis insuper aliisque bonis et juribus, que a Romanis et aliis quibuscumque tenent ecclesiis, apostolica auctoritate privamus. Prefatos quoque Lambertatios et alias singulares personas monemus quod de civitatibus et locis eisdem penitus recedentes ad ea, quamdiu in hujusmodi rebellione permanserint, nullatenus revertantur ac nichilominus nobis et eidem ecclesie infra mensem, quem sibi pro termino peremptorio assignamus, de injuriis, dampnis et expensis ac fructibus, redditibus, proventibus et obventionibus satisfaciant supradictis, super omnibus et singulis excessibus contra nos et ecclesiam eandem commissis nostris et ipsius ecclesie precise mandatis et beneplacitisērituri. Alioquin bona eorum, que ubilibet tenent vel habent in terris nobis et ecclesie Romane subjectis, nobis et ipsi Romane ecclesie confiscamus ac etiam publicamus, ac alias etiam spiritualiter et temporaliter contra eos prout ipsorum protervia exegerit et expedire viderimus auctore Domino procedamus. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eundem in ejusdem ecclesie Urbevetane appendi vel affligi ostiis seu superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo inditio publicabunt, ita quod idem G. et omnes alii quos processus ipse contingit nullam postea possint excusationem pretendere quod ad eos tales processus non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Actum apud Urbemveterem in platea dicte majoris ecclesie in die Cene Domini, Pontificatus nostri anno secundo. »

267 28 mars 1282.

Guillelmo Durandi, capellano papae, in provincia Romaniolae in spiritualibus vicario, decano Carnotensi, mandat quatinus supradictos processus solemniter faciat publicari. — (Reg. 41, fol. 93; ann. II, Cur. nº 2.)

« Martinus episcopus, servus servorum Dei. Dilecto filio magistro Guillelmo Durandi, capellano et in provintia Romaniole in spiritualibus vicario nostro, decano Carnotensi, salutem, etc. Tenorem processuum innovatorum et habitorum nuper in die Cene Domini, tam contra Guidonem dictum comitem de Montefeltro ejusque complices et stipendiarios, quam contra capitaneum, consilium et universitatem partis Lambertatiorum de Bononia, potestates quoque, capitaneos, consiliarios et universitates quamplurium civitatum et locorum illarum partium ac alios generaliter et singulariter, insertum presentibus tibi duximus destinandum, discretioni tue per apostolica scripta mandantes quatinus, tenore ipso diligenter inspecto processus hujusmodi studeas, ubi, quando et quotiens expedire videris, sollempniter publicare et per alium vel alios facias publicari, de publicatione hujusmodi confici faciens publica instrumenta, illa nobis per fidelem nuntium transmissurus ac rescripturus per tuas litteras harum seriem continentes quicquid in predictis duxeris faciendum. Dictus quidem tenor talis est : Martinus episcopus, servus servorum Dei, ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Graves et enormes excessus etc. ut supra in proxima usque in finem. Dat. V kal. aprilis, anno secundo. »

268 Orvieto, 7 mai 1282.

Contra Guidonem dictum comitem Montisferetri, stipendiarios et complices ejus, specialiter capitaneum, consilium et universitatem partis Lambertatiorum de Bononia, necnon et potestates, capitaneos et consiliarios Forlivii, Forimpopuli, Cesenae et Cerviae civitatum, Castri Brectenorii et aliorum locorum provinciae Romaniolae, excommunicationis, interdicti ac privationis sententias in die Coenae Domini transacto novissime latas ratificat et innovat; praefatum Guidonem in quinque milium marcarum argenti poena, ac ipsum et alios supradictos ad satisfaciendum Ecclesiae de damnis illatis ac de proventibus terrarum ejusdem Ecclesiae ab eis occupatarum condemnat; civitates, universitates locorum praedictorum privationis privilegiorum, jurium ac bonorum, et praefatas singulares personas confiscationis et publicationis bonorum sententias incurrisse declarat. — (Reg. 41, fol. 93; ann. II, Cur. nº 3; — Potthast, nº 21897.)

« *Processus habitus contra eundem Guidonem et complices suos in die Ascensionis Domini.* Martinus episcopus, etc. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Pridem in die —. Actum apud Urbemveterem, in platea dicte majoris ecclesie, in die Ascensionis Domini, anno secundo. »

269 Orvieto, 7 mai 1282.

Sententias quas in festo Dedicationis basilicae Principis Apostolorum proximo praeterito contra Michaelem Paleologum, qui Graecorum imperatorem se nominat ejusque fautores, ac quas in die Coenae Domini transacto novissime, contra illos qui quaecumque ad eundem Michaelem vel terram ejus deferrent, mitterent sive venderent, tulit, ratas habet et innovat. — (Reg. 41, fol. 94; ann. II, Cur. nº 4; — Potthast, nº 21896.)

« *Processus habitus contra Michaelem Paleologum in die*

Ascensionis Domini. Martinus, etc. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Dudum apud civitatem —. Actum apud Urbemveterem in platea dicte majoris ecclesie, in die Ascensionis Domini, anno secundo. »

270 Orvieto, 5 juin 1282.

G., episcopo Sabinensi in regno Siciliae plenae legationis officium committit. — (Reg. 41, fol. 94 v°; ann. II, Cur. n° 5; Potthast, n° 21912.)

« *Legatio Domini Sabinensis in regno Sicilie. Venerabili fratri G. episcopo Sabinensi, Apostolice Sedis legato.* In hac terrestri patria gerentes licet immeriti vices Christi levamus vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos, in circuitu visuri quod gregi commisso nobis expediat et quod operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti presidio cujus sunt terre cardines, cui cogitationes hominum preparentur, quique arcus fortium superat et infirmos robore potenter accingit, nostri partes officii salubriter et utiliter apponamus ad ea que fidelibus principibus et populis necessario expedire viderimus et noverimus profutura. Et licet Christicolarum singulae regiones Deo et Apostolice Sedis devote favorem apostolicum mereantur, nosque ad eas nostre considorationis diffundamus intuitum, tamen regnum Sicilie velud delectationis nostre pomerium serenis intuemur affectibus et infra claustrum nostri pectoris predilectione portamus. Hoc enim est regnum ecclesie Romane peculiare precipuum cui presidet rex devotus, ipsius ecclesie filius et pugil intrepidus, regnum ipsum sua potenti strenuitate liberans et defendens de manibus impiorum ac ad ejusdem exaltationem ecclesie conservans et protegens, superna benedictione perfusus, cujus tota domus regia sincere fidei clareque devotionis titulis insignita et aromatibus imbuta virtutum in gremio dicte Sedis et nostro predilecta recumbit. Decens est igitur ut circa regem et regnum eadem sollicitudinis nostre fervor exuberet et de ipsorum status prosperitate cum affectionis paterne plenitudine cogitemus. Unde cum hostis humani generis, pacis emulus et zizanie seminator nuper in eodem regno turbationes et scandala suscitarit, satagens ut regnum prefatum, de oppressionibus et langoribus quibus peste tyrampnica fluctuarat diutius, sub ejusdem regis strenua dimicatione respirans, deformationis dispendia sub miserabili ducta vehiculo sustineret, nos exinde graves et amaras in corde suscepimus non sine immensi doloris acerbitate puncturas, dum miserabilis dicti regni conditio et commissorum ibidem enormitates excessuum in nostro pectore revolvuntur, et profundis meditationibus laboriosisque vigiliis anxiamur, ut in tante necessitatis articulo possimus auctore Domino adhibere consilium opportunum. Et quia innumerabilium quasi negotiorum varietate distrahimur et humana natura non patitur ut essentia nostri corporis tota simul in diversis locis exhibeat se presentem, illos in partem apostolice solicitudinis de latere nostro nonnumquam assumimus, quibus fore percipimus celesti dono provisum ut in altis et arduis negotiis sciant et possint provide consulere ac utili consilio providere. Attendentes itaque quod personam tuam Altissimus scientiarum magnitudine, providentiae munere, circumspectionis gratia et industrie claritate, multisque virtutibus insignivit, humeris tuis fortitudinis robur adiciens ut ad laudem sui nominis frequenter onera grandia supportares, plenissimam quoque de tuis meritis fiduciam obtinentes, licet apud eamdem Sedem ex eminentia tui consilii necessarius habearis et inviti tanti viri presentia careamus; te tamen propter exaltationem ejusdem ecclesie cujus negotium in hac parte principaliter agitur et oblatam predictorum regis et regni quietem, de fratrum nostrorum consilio, illuc tamquam pacis angelum duximus destinandum, fraternitati tue in eodem regno plene legationis officium committentes ut evellas, destinas, dissipes et disperdas, edifices et plantes et facias auctoritate nostra quecunque ad honorem Dei et prosperum statum illarum partium ac reformationem prosperi status regis et regni predictorum videris pertinere concessa tibi auctoritate etc. — Dat. apud Urbemveterem, nonis junii, anno secundo. »

270 *a* Orvieto, 5 juin 1282.

In e. mo. universis habitatoribus per regnum Siciliae constitutis mandat quatinus eidem episcopo tanquam Apostolicae Sedis legato humiliter intendant, ejusque salubribus monitis et consiliis acquiescant, ipsius statuta, monita et precepta efficaciter adimplendo.

« *Dilectis filiis nobilibus viribus universis comitibus, baronibus et militibus ac populis sive communitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per regnum Sicilie constitutis.* In hac terrestri —. Dat. ut supra. »

270 *b* Orvieto, 5 juin 1282.

In e. mo. regem Siciliae rogat quatinus eidem episcopo tanquam Apostolicae Sedis legato efficaciter intendat.

« *Regi Sicilie illustri.* In hac terrestri —. »

« In e mo. regine Sicilie illustri. Dat ut supra. »

270 *c* Orvieto, 5 juin 1282.

G. episcopo Sabinensi, Apostolicae Sedis legato privandi quoslibet religiosos cujuscumque ordinis qui super negotiis ei commissis ejus mandatis plenarie parere contempserint omnibus indulgentiis et privilegiis eis ab Apostolica Sede concessis facultatem concedit. — (Fol. 95 v°.)

« *Venerabili fratri G. episcopo Sabinensi, Apostolice Sedis legato.* Cum te ad —. Dat. ut supra. »

270 *d* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem concedit ut, quotiescumque contigerit eum solemniter proponere verbum Dei, consecrare altaria vel ecclesias, et in festivitatibus solemnibus missarum solemniis, cum eas illum celebrare contigerit, .. dies et si aliquando magnus casus emerserit, .. annos et .. (1) dies omnibus vere poenitentibus et confessis qui de injunctis poenitentiis relaxare valeat.

« *Eidem.* Cum te —. »

270 *e* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem concedit ut, si fuerit regnum Siciliae ingressus et postmodum eum dictum regnum egredi contigerit, possit ad eundem reingredi et legationis officium exercere.

« *Eidem.* Cum te —. Dat. ut supra. »

270 *f* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem dispensandi per se vel per alium cum ecclesiarum prelatis et personis ecclesiasticis ejus legationis super irregularitate quam contraxerunt vel contraxerint, legatione durante, ferendo in alios, contra constitutionem Innocentii papae, excommunicationis sententiam sine scriptis, et non abstinendo a divinis, facultatem concedit.

« *Eidem.* Cum te —. Dat. ut supra. »

270 *g* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem dispensandi cum personis ecclesiasticis, religiosis et saecularibus ejus legationis super irregularitate quam contraxerunt vel contraxerint, legatione durante, ex eo quod excommunicatae receperunt ordines et ministrarunt in ipsis aut excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis innodatae divina officia celebrarunt facultatem concedit.

« *Eidem.* Cum te —. Dat. ut supra. »

(1) Les nombres ont été laissés en blanc dans le registre.

270 *h* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem illos qui in terris ejus legationis per judices a Sede Apostolica delegatos et subdelegatos ab illis excommunicationum sententiis innodati commode non possunt absolvi, dictis judicibus nunc deficientibus absolvendi facultatem concedit. — (Fol. 96.)

« *Eidem.* Ad audientiam nostram —. Dat. ut supra. »

270 *i* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem exercendi censuram ecclesiasticam in quascumque personas ecclesiasticas vel seculares, publicas vel privatas regni Siciliae et terras ipsarum interdicto ecclesiastico supponendi, cum expedire viderit, facultatem concedit.

« *Eidem.* Prosperum statum carissimi —. »

270 *j* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem declarat quod papae voluntatis existit quod per ea quae ei specialiter sunt concessa hiis quae ei ratione legationis competunt in nullo penitus derogetur.

« *Eidem.* Prosperum statum —. »

270 *k* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem mandat quatinus comites, barones et alios laicos regni Siciliae moneat ut exhibeant C. Siciliae regi fidelitatis juramenta et alia omnia quae consueverunt ab ipsis Siciliae regibus exhiberi, omnesque conjurationes factas ab eis dissolvant, eos per privationem feudorum et omnium bonorum quae ab ecclesiis detinent compellendo.

« *Eidem.* Cum te ad —. »

270 *l* Orvieto, 8 juin 1282.

Eidem ut clerici commensales ejus de bonis suis undecumque non per Ecclesiam acquisitis, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis ipsorum dispensationi seu administrationi commissis et quae non fuerint ecclesiarum eis commissarum usui deputata necnon et quibuscumque bonis mobilibus ab eis per Ecclesiam acquisitis, hujusmodi legatione durante, testari ac disponere valeant, facultatem concedit.

« *Eidem.* Cum te ad —. Dat. VI idus junii apud Urbemveterem anno secundo. »

270 *m* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem concedit ut cum eum contigerit proponere verbum

Dei in solemnibus praedicationibus et congregationibus, in translationibus quoque reliquiarum Sanctorum, necnon in solemnibus festivitatibus si eum illis personaliter interfuerit, omnibus vere poenitentibus et confessis qui interfuerint, unum annum et quadraginta dies vel aliud tempus recisius de injunctis poenitentiis relaxare valeat.

« *Eidem*. Cum te —. Dat. apud Urbemveterem, nonis junii, anno secundo. »

270 *n* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem conferendi personis idoneis beneficia cum cura vel sine cura, dignitates et personatus clericorum qui in comitatu vel in servitio ejus erunt, clericis ipsis postquam de Curia ratione legationis iter arripuerit cedentibus vel decedentibus antequam redeat ad Curiam, et faciendi easdem personas ad beneficia hujusmodi, si in ecclesiis collegiatis fuerint, in canonicos et in fratres recipi, facultatem concedit. — (Fol. 96 v°.)

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *o* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem conferendi personis idoneis beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, dignitates seu personatus quae in civitatibus et diocesibus legationis ejus tanto tempore vacaverint quod ad Sedem Apostolicam eorum collatio, secundum statuta Lateranensis concilii, devoluta est, facultatem concedit.

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *p* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem exercendi censuram ecclesiasticam in omnes illos qui in legatione circa eum vel familiam ejus injuriosi extiterint, si injuriatores ipsi ab eo moniti de injuria illata ei et dicte familie non satisfecerint competenter facultatem concedit. — (Fol. 97.)

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *q* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem dispensandi cum clericis ejus legationis, qui ab archiepiscopis et episcopis vinculo excommunicationis adstrictis ignoranter ordines receperunt, exceptis illis qui ordinati fuerunt ab hiis qui per Sedem Apostolicam fuerunt depositi pro eo quod interfuerunt coronationi Manfredi quondam principis Tarentini, facultatem concedit.

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *r* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem ut procurationes ei debitas, legatione durante, tam in absentia quam presentia petere ac recipere valeat, potestatem concedit.

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *s* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem ut evectiones, quot commissis ei negotiis expedire viderit, ducere valeat, constitutione generalis concilii non obstante.

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *t* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem vocandi ad se quoscumque et quotcumque Praedicatorum, Minorum et aliorum quorumlibet ordinum fratres ejus legationis, necnon dandi illis licentiam ingrediendi secum monasteria monialium et equitandi, potestatem concedit. — (POTTHAST, n° 21913.)

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *u* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem concedendi tabellionatus officium juxte formam IIII^or personis quas ad illud post diligentem examinationem idoneas esse repererit, potestatem concedit.

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *v* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem indulget ut clerici ejus qui cum eo moram traxerint, hujusmodi legatione durante, vel quos ad loca alia pro eisdem negotiis ille destinaverit, quamdiu obsequiis ipsis institerint, proventus beneficiorum, dignitatum et personatuum eorum, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, integraliter percipere valeant, ac si personaliter in ecclesiis in quibus dignitates, personatus et beneficia ipsa obtinent, personaliter residerent.

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *w* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem privandi clericos saeculares ejus legationis quos indevotos, ingratos et inobedientes invenerit omnibus gratiis ab

Apostolica Sede concessis, et ut per litteras super hoc ad eos obtentas nullatenus procedatur potestatem concedit. — (Fol. 97 v°.)

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *x* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem injungendi fratribus Praedicatorum, Minorum et aliorum ordinum infra suae legationis terminos constitutis quaecumque prosecutioni officii expedire viderit, facultatem concedit.

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *y* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem concedit ut cum quibuslibet religiosis personis suae legationis quae symoniacam pravitatem commiserunt vel commiserint legatione durante, dispensare possit.

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *z* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem concedit ut omnibus vere poenitentibus et confessis qui ad fabricas ecclesiarum ejus legationis, hospitalium, itinerum et pontium manum adjutricem porrexerint, sexaginta vel usque ad centum dies de injunctis eis poenitentiis valeat per triennium relaxare.

« *Eidem*. Cum ad —. »

270 *aa* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem concedendi licentiam nobilibus mulieribus quod earum quaelibet cum quatuor, quinque vel sex matronis semel in anno, durante ejus legatione, possint monasteria Cisterciensis ordinis ejusdem legationis, causa devotionis, intrare, ita tamen quod eaedem nobiles cum personis monasteriorum non comedant in conventu, et in dictis monasteriis non pernoctant.

« *Eidem*. Consuevit interdum Apostolica —. »

270 *bb* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem indulget ut quandocumque et quotiescumque voluerit, legatione durante, aliquem discretum presbyterum secularem vel religiosum in confessorem suum eligere possit.

« *Eidem*. Ut favorem quo —. »

270 *cc* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem amovendi a beneficiis, personatibus et dignitatibus ecclesiasticis quoscumque in sua legatione illa invenerit minus canonice obtinere, illaque personis idoneis conferendi potestatem concedit. (Fol. 98.)

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *dd* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem faciendi recipi viginti clericos suos in ecclesiis tam cathedralibus quam aliis suae legationis, si ad id illorum ad quos collatio praebendarum in eisdem ecclesiis pertinet accedat assensus, dummodo tantum unus in una ecclesia per hanc gratiam recipiatur, in canonicos et fratres, ac providendi eis de praebendis, nonobstante statuto ipsarum ecclesiarum de certo canonicorum numero et aliis quibuscumque, facultatem concedit.

« *Eidem*. Quam volentes honorare —. »

270 *ee* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem dispensandi cum clericis suae legationis defectum natalium patientibus generaliter, dummodo e presbyteris, vel regularibus nati, aut ex adulterio, vel ex incestu geniti non existant, ac ipsis bonae conversationis et vitae merita suffragantur, facultatem concedit.

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *ff* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem compellendi praelatos, cujuscumque dignitatis extiterint, necnon personas quaslibet tam Cisterciensis, Premonstratensis, Cluniacensis et aliorum ordinum, magistros quoque, priores, praeceptores et fratres Hospitalis Jerosolimitani, domus militiae Templi et quorumcumque aliorum hospitalium sive domorum, quam alias personas ecclesiasticas ecclesiarum sive monasteriorum, per censuram ecclesiasticam ad providendum in necessariis nuntiis suis, facultatem concedit.

« *Eidem*. Cum te —. »

270 *gg* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem absolvendi clericos et laicos utriusque sexus ab excommunicationum sententiis quas, pro eo quod Sarracenis arma et alia prohibita detulerunt, incurrerunt, facultatem concedit.

« *Eidem.* Cum te —. »

270 *hh* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem compellendi per censuram ecclesiasticam quoslibet praelatos cujuscumque dignitatis, necnon regulares Cisterciensis, Premonstratensis, Cluniacensis et aliorum ordinum, magistros quoque, priores, praeceptores et fratres Sancti Johannis Jerosolimitani, militiae Templi et aliorum quorumcumque hospitalium sive domorum et alias personas ecclesiasticas sive monasteriorum, ad contribuendum in procurationibus sibi debitis, potestatem concedit. (Fol. 98 v°.)

« *Eidem.* Cum te —. »

270 *ii* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem puniendi archiepiscopos, episcopos, ac quoslibet alios ecclesiarum monasteriorum et domorum praelatos, et quascumque personas ecclesiasticas suae legationis, quae ei circa legationis officium parere neglexerint, ac ipsos suspensos ad Apostolicam Sedem mittendi et hoc eis injungendi sub poena depositionis, vel privandi eos beneficiis, facultatem concedit.

« *Eidem.* Cum te —. »

270 *jj* Orvieto, 5 juin 1282.

Eidem proponendi ubicumque citra Farum vel ultra, convocatis prout ipsi videbitur clero et populo, publicae citationis edicta et faciendi monitiones publicas quod personae suae legationis coram se compareant, et monitionibus suis pareant, facultatem concedit.

« *Eidem.* Cum te ad —. Dat. ut supra in prima in omnibus. »

271 Montefiascone, 13 décembre 1282.

Regem Franciae hortatur quatinus Gualterum de Fontanis capellanum papae, praepositum de Ingreyo in ecclesia Carnotensi, et Petrum de Mollanis militem ac familiarem dicti regis, quos ad partes Franciae papa destinat, prudenter dirigat, ut tot milites, armigeros et balistarios regni Franciae quot nominaverint et capitaneum idoneum dicti regis arbitrio ad opus Ecclesiae invenire valeant. — (Reg. 41, fol. 98 v°; ann. II, Cur. n° 6.)

« *Carissimo in Christo filio .. regi Francie illustri.* Etsi devotionis regie magnitudo erga Romanam Ecclesiam matrem tuam inditiis olim extiterit patefacta perspicuis et operibus patulis declarata, nuper tamen ex eo quasi quondam radio clariori prefulxit quod pridem nostris precibus excitatus honorabilem ad nos militum, armigerorum et peditum comitivam pro negotio Romaniole in qua nonnulli per indevotionis devia oberrantes contra prefatam Ecclesiam, eorum dominam spetialem, rebellionis spiritum assumpsisse noscuntur, libenti animo destinasti : de quo celsitudini regie tanto uberiores gratiarum exolvimus actiones, quanto id ex affectu provenisse dinoscitur ampliori. Sane quia negotium hujusmodi specialiter cordi gerimus plenisque desideriis affectamus, ut illud ad laudem Dei, honorem Ecclesie, ac tranquillum et pacificum statum fidelium illarum partium, votivum sortiatur effectum, providimus habito prudentium consilio, qui bellicorum actuum experientiam habere dicuntur, contra rebelles eosdem potenter et magnifice procedendum, ut conflatis in unum Ecclesie juribus, Summi Regis cujus in hac parte negotium agitur cooperante virtute, dissipentur omnino eorum robora, cornua conterantur, gloriosum de illis Ecclesia reportante triumphum. Cum itaque speremus firmiter, hujusmodi nostrum desiderium adimplendum si ope Gallicane militie fulciatur, et propter hoc dilectum filium magistrum Galterum de Fontanis, capellanum nostrum, prepositum de Ingreyo in ecclesia Carnotensi, latorem presentium, et nobilem virum Petrum de Mollanis, militem ac familiarem tuum, ad partes Francie destinemus, serenitatem regiam rogandam attente duximus et fiducialiter requirendam quatinus pro divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia hujusmodi negotium regio favore prosequens, et ad promotionem ejus sollerter intendens, capellanum et militem predictos prudenter dirigas et diligenter informes, ut tot milites, armigeros, et balistarios regni tui, armis et equis bene munitos, de quorum experta probitate sit nobis non immerito confidendum, quot iidem capellanus et miles duxerint nominandos, et capitaneum ydoneum predictorum tue discretionis arbitrio assumendum, ad opus Romane Ecclesie invenire valeant et habere, competentibus illis stipendiis juxta tue discretionis arbitrium constitutis. Nos enim, fili, firma spe ducimur, quod super hoc illam diligentiam et sollicitudinem adhibebis, quod in hac parte satisfiet plenarie votis nostris, et Sedis Apostolice gratia,

qua devotos filios libenter prosequimur, erga personam regiam suscipiet incrementum. Dat. apud Montemflasconem, idibus decembris, anno secundo. »

272 Montefiascone, 13 décembre 1282.

Regem Franciae requirit quatinus assensum praestet ut de pecunia decimali ad opus dicti regis pro Terrae Sanctae subsidio in domo Templi Parisiensis deposita usque ad centum milia librarum Turonensium papa possit recipere in executionem negotii Romaniolae. — Reg. 41, fol. 99; ann. II, Cur. nº 7; — Delisle, *Mémoire sur les opérations financières des Templiers*, p. 114.)

« *Eidem*. Sicut magnitudini regie per alias nostras litteras plenius intimamus, dilectum filium magistrum Galterum de Fontanis, capellanum nostrum, prepositum de Ingreyo in ecclesia Carnotensi, et nobilem virum Petrum de Mollanis, militem, ad partes Francie pro invenienda et habenda ad opus Romane Ecclesie certa militum, armigerorum et balistariarum illarum partium quantitate transmittimus, regio super hoc dirigendos consilio, et etiam informandos. Cum autem prefata Ecclesia pro exhibendis stipendiis militibus et aliis supradictis, sufficientem pecuniam in partibus illis ad presens in promptum non habeat, et propter hoc in tante necessitatis articulo ad te tanquam ad solitum et spetiale refugium decreverit secura fidutia recurrendum, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente ac requirimus etiam ex affectu, quatinus pro divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia, moleste ferens ejusdem Ecclesie, tue matris, injurias que sibi in provincia Romaniole a nonnullis rebellibus illarum partium inferuntur, tuum benigne prestes assensum ut de pecunia decimali ad opus tuum pro Terre Sancte subsidio in domo Templi Parisiensis deposita usque ad centum milia librarum Turonensium libere possimus recipere in executionem prefati negotii in totum vel in partem, prout expedire viderimus, convertenda. Nos enim super hoc tibi plenius providere tuisque indempnitatibus precavere volentes, eidem capellano per alias nostras litteras plenam concedimus potestatem, tibi nostro et Ecclesie Romane nomine promittendi quod nos et Ecclesia ipsa hujusmodi pecunie summam ad idem opus reintegrabimus, et restituemus plenarie juxta tue beneplacitum voluntatis. Quesumus ergo, fili, ut hujusmodi nostra petitio tibi ex speciali confidentia destinata, votis regiis non sit gravis, ingrata, vel molesta non veniat, quin immo illam eo libentius munificentia regalis adimpleat, quo fidutialius est transmissa. Dat. ut supra. »

273 Montefiascone, 13 décembre 1282.

Galtero de Fontanis capellano papae, praeposito de Ingreyo in ecclesia Carnotensi, mandat quatinus milites, armigeros et balistarios ac capitaneum eorum in Francia invenire procuret, eis stipendia statuendo; insuper regem Franciae requirat quatinus de pecunia decimae Terrae Sanctae in domo Templi Parisiensis deposita centum milia librarum Turonensium papa possit recipere. — (Reg. 41, fol. 99; ann. II, Cur. nº 8.)

« *Magistro Galtero de Fontanis, capellano nostro, preposito de Ingreyo in ecclesia Carnotensi.* Cum pro negotio Romaniole, quod potissime insidet cordi nostro, certos milites, armigeros et balistarios de partibus Francie habere quamcito poterimus intendamus, nos de tua experta probitate confisi, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad partes illas te personaliter conferens, hujusmodi militum, et aliorum predictorum numerum, qui equis et armis, prout convenit, sint muniti, ac capitaneum eorundem, de consilio seu providentia carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris, cui super hoc scripta nostra dirigimus, invenire et habere procures, ei juxta regie discretionis arbitrium stipendia statuendo. Porro, cum Romana Ecclesia, pro stipendiis hujusmodi exhibendis, pecuniam sufficientem in partibus illis ad presens in promptum non habeat, eidem regi alias nostras rogatorias litteras destinamus, ut regium benigne prestet assensum, quod de pecunia decime ad opus ipsius regis pro Terre Sancte subsidio in domo Templi Parisiensis deposita, centum milia librarum Turonensium libere possimus recipere, in prefati executionem negotii, in totum vel in partem, prout expedire viderimus convertenda. Unde volumus quod super hoc eundem regem diligenter ex parte nostra requiras, cui si, prout speramus et credimus, assensum hujusmodi prestare curaverit, tu nostro et Ecclesie nomine supradicte promittas, super quo tibi auctoritate presentium plenam concedimus potestatem, quod nos et Ecclesia ipsa predictam pecunie summam ad idem opus reintegrabimus et plene restituemus juxta sue beneplacitum voluntatis. De hujusmodi autem centum milium librarum turonensium quantitate, prefatis militibus, capitaneo et aliis certam partem communiter, vel singulariter, prout eidem regi videbitur, pro ipsorum faciendis apparatibus largiaris, residuum quantitatis ejusdem apud memoratum Templum, nostro et ipsius Ecclesie nomine dimittendo, confectis super dimissione hujusmodi duobus similibus publicis instrumentis, quorum alterum dilecto filio .. thesaurario ipsius Templi exhibeas, et reliquum, ad nostram presentiam rediens, tecum feras. Sic itaque te super premissis gerere studeas, ut exinde non imme-

rito commendari valeas, et Sedis Apostolice gratiam uberius promereri. Dat. ut supra. »

274 Montefiascone, 13 décembre 1282.

Thesaurario domus Templi Parisiensis mandat quatinus G. de Fontanis partem quantitatis pecuniae supradictae accedente ad hoc assensu regis Franciae assignet, residuum vero in eodem Templo ad opus papae conservet. — (Reg. 41, fol. 99 v°; ann. II, Cur. n° 9; — Delisle, *loc. cit.*, p. 115, n° XXI.)

« *Dilecto filio .. thesaurario domus Templi Parisiensis.* Cum pro negotio Romaniole quod potissime insidet cordi nostro, certam quantitatem militum, armigerorum et balistariorum habere de partibus Francie intendamus dilectum filium magistrum G. de Fontanis, capellanum nostrum, prepositum de Ingreyo in ecclesia Carnotensi, latorem presentium, propter hoc ad partes illas specialiter duximus destinandum. Porro cum Romana Ecclesia pro stipendiis prefatis militibus et aliis exhibendis, pecuniam sufficientem in partibus illis ad presens in prompta non habeat, carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francorum illustri alias nostras rogatorias litteras mittimus, ut regium benigne prestet assensum, quod de pecunia decime ad opus ipsius regis pro Terre Sancte subsidio in domo Templi Parisiensis deposita, centum milia librarum turonensium libere possimus recipere, in prefati executionem negotii in totum vel in partem prout expedire viderimus convertenda. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus eidem capellano, cum super hoc ab ipso fuerit requisitus, partem dicte pecunie quam petierit, accedente ad hoc assensu regio, sublato cujuslibet obstaculo difficultatis, assignes; partem vero residuam predicte pecunie, nostro et Ecclesie prefate nomine in eodem Templo conserves ut illam, pro toto vel pro parte, processu temporis habere possimus, cum te super hoc per nostras litteras duxerimus requirendum; sic itaque super hiis te promptum exhibeas et paratum, quod devotionem tuam possimus exinde dignis in Domino laudibus commendare. Dat. ut supra. »

275 Montefiascone, 10 décembre 1282.

G., episcopo Sabinensi, Apostolicae Sedis legato, mandat quatinus quamlibet fortelitiam montis Casini, in quo situm est monasterium Casinense, tam infra ipsius monasterii septa quam etiam extra in monte praedicto, et castra ecclesiae Salernitanae ac specialiter castrum Olibani, necnon et si qua alia castra vel arces ecclesiarum vel monasteriorum quorumlibet dicti regni, de quibus propter situm videretur dubitandum ne per ea status regis Siciliae posset perturbari, faciat per eundem regem in expensis ejus custodiri, receptis prius ab eo patentibus litteris quod eadem ad Apostolicae Sedis requisitionem dictis ecclesiis et monasteriis restituet. — (Reg. 41, fol. 99; ann. II, cur. n° 10; — Potthast, n° 21959.)

« *Venerabili fratri G., episcopo Sabinensi Apostolice Sedis legato.* Consideratis attentius tam —. Dat. apud Montemflasconem, IIII idus decembris, anno secundo. »

276 Montefiascone, 18 novembre 1282.

Processus contra Petrum regem Aragonum. — (Reg. 41, fol. 100; ann. II, Cur n° 11; Potthast, n° 21947.)

« *Processus habitus contra .. Regem Aragonum in die Dedicationis Basilice principis Apostolorum. Martinus etc. Ad certudinem presentium et memoriam futurorum.* Longa retro series ipsiusque diffusa narratio, cui vix tempora multa sufficerent, tedio grandi nimirum audientes afficeret, si quondam Frederici olim Romanorum Imperatoris posterorumque suorum culpas horrendas et excessus nefandos ab ipsis contra Deum et Romanam commissos ecclesiam, ac processus proinde per Romanos pontifices, predecessores nostros, rite habitos contra ipsos penasque juste illis indictas repetitio seriosa narraret. Ideoque summa rerum fastigia, prout imminentium casuum necessitas exigit et absque seductionis injuria materia patitur, decrevimus prosequenda. Et quidem communem non credimus latere notitiam qualiter fe. re. Innocentius papa IIII^tus^, predecessor noster, memoratum Fredericum, qui se per eosdem suos excessus et culpas innumeras indignum imperio et regnis omnique honore ac dignitate reddiderat, in concilio Lugdunensi, eodem approbante concilio, propter suas iniquitates a Deo ne regnaret vel imperaret abjectum ostendit, et denuntiavit omni honore ac dignitate privatum a Domino, et nichilominus sententiando privavit, ut in ejusdem predecessoris sententia contra ipsum Fredericum lata plenius continetur; qualiter etiam post ejusdem Frederici obitum, licet regnum Sicilie ad dispositionem ecclesie Romane, cujus juris et proprietatis existit, esset libere devolutum idemque predecessor de illo se provisurum in eodem concilio publice predixisset, quondam Corradus dicti Frederici natus, quamquam in eodem regno ex ipsius sui genitoris successione nullum penitus jus haberet, cum sicut ex premissis apparet nec ille mortis sue tempore habuisset, nec

alias eidem Conrado jus competeret in eodem ipsum regnum, presemptione temeraria occupavit. Nec illius recentioris facti memoriam obliteravit oblivio, videlicet quod ipso Corrado subtracto de medio, quondam Manfredus, tunc princeps Tarentinus, quem velut de copula dampnata susceptum ad dicti regni successionem contra juramentum fidelitatis quod dicto predecessori prestiterat temere veniens, sub quondam Corradini nati dicti Corradi suique nepotis simulata protectione tutoria, ad quedam civitates, castra et alia loca regni ejusdem manus occupatrices extendit, propter quod et alios suos actus nepharios et graves offensas pie me. predecessor noster Alexander papa IIIItus ipsum ex causis variis excommunicationis vinculo innodatum Tarentino principatu, honore Montis sancti Angeli, omnibus comitatibus, terris, feudis, dignitatibus et aliis honoribus ac bonis et juribus, que in prefato regno et que alibi etiam ab ecclesiis et personis ecclesiasticis obtinebat, necnon et vicaria in quadam ipsius regni parte sibi ab Apostolica Sede concessa et etiam omnibus concessionibus, donationibus, largitionibus, confirmationibus et privilegiis, sive a predictis Frederico patre vel Corrado fratre suis, sive a Sede Apostolica in regno sibi factis eodem vel alibi etiam ab ecclesiis quibuscumque vel personis ecclesiasticis, tamquam rebellem et hostem Ecclesie Romane, ac violatorem fidelitatis sibi prestite manifestum, suorum jurium invasorem, occupatorem et detemptorem sacrilegum et tanquam sotiatum nefando federe Sarracenis, eorum complicem, ductorem et protectorem publicum, apostolica auctoritate privavit; cumque idem Manfredus nec hiis aliisve remediis contra malitiam ejus adhibitis in sua iniquitate remissior, sed in committendo cotidie prioribus deteriora ferventior, postmodum fraudolenter prefati nepotis sui morte conficta idem regnum proprio nomine occupans et regium in illo titulum et nomen usurpans, se ortus sui non erubescens primordia, in illius regem inungi et coronari fecisset, idem predecessor Alexander, ejus iniquitates et fraudes abhominans et detestans, cassavit et irritavit, cassum et irritum nuntiavit quicdquid circa ipsum Manfredum per unctionem seu potius execrationem, et coronationem quas recipere de facto presumpserat, quasque nullas esse constabat extitit tam temerarie tam dolose presumptum. Eisdem vero Manfredo et demum Corradino, qui etatem preveniendo malitiam a dictorum predecessorum suorum iniquis semitis non declinans, sed ad eadem imperium et regnum aspirans, prefatam ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum Carolum Sicilie regem illustrem insidiis multis impetiit et multipliciter apertis conatibus infestavit, propter quod contra eum et fautores suos per recolende memorie Clementem papam predecessorem nostrum varii habiti sunt processus, sua sorte succisis, nobis et regi ac regno predictis pacis et quietis serenitas arrideret in subitas tempestates acta est estiva tranquillitas, bellum in media pace surrexit, facti sunt hostes ex subditis. Et qui eidem regi Sicilie ad fidelitatis debitum tenebantur rebellionis spiritum infideliter assumentes, non solum hostilia sed tyrampnica patraverunt. Sicut enim gravis clamat infamia, processit adeo Panormitana civitas et civium presumptuosa rebellio, quod rebellandi audatia et jurium interversione regalium suique quantum in eis fuit abjectione dominii non contenta, ferine immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas exposuit dum eorum exitiales iniquitas non solum quos ex devotis regis ipsius concepta potuit preoccupare nequitia sine sexus etatisve (1) delectu inhumane cecidit, verum etiam partus quos adhuc viscerum partionem claustra materna celabant, illis seve desectis sic precipiti festinatione produxit in lucem, quod eis nimis proculdubio innaturaliter lucis usum, antequam concederetur natura, subtraxit, ipsis adeo prematura et impiissima cede cedis quod ortus eorum principia vite pervenit occasus. Quia vero sicut ex tunc multorum habebat assertio et jam probat exitus evidenter hec in nostram et ejusdem ecclesie turbationem et dispendium temptabantur, et plurium ad hoc intentio laborabat et studium ut fornacis quasi recenter extincte nos, ecclesia et rex iidem renovata eo graviora sentiremus incendia quo solent nocere gravius pericula recidiva. Nos tantorum malorum cupientes obstare principiis, ne sero medicina ipsis jam procedentibus pararetur, in festo Ascensionis Domini preterito nuper apud Urbemveterem, presente multitudine copiosa fidelium, de fratrum nostrorum consilio, universos et singulos, cujuscumque preminentie, conditionis aut status attente monuimus eisque districte precepimus ne in predicto regno vel ejus parte nos et eandem ecclesiam, aut prefatum Sicilie regem, qui regnum Sicilie tenet ab ipsa, per se vel per alium molestarent, impeterent vel etiam perturbarent occupando, invadendo seu occupari aut invadi faciendo regnum ipsum vel aliquam ejus partem. Precepimus insuper universis et singulis Christi fidelibus, et specialiter marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus et universitatibus castrorum, villarum et quorumcumque locorum Italie, maxime ipsius ecclesie Romane temporali jurisdictioni subjectis ne predictis molestatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus vel invasoribus, seu occupari vel invadi facientibus dictum regnum vel aliquam partem ipsius in premissis intenderent et ne cum armis vel sine armis

(1) Etavisve *ms.*

ad turbandum in regno eodem pacem prefatorum ecclesie ac regis Sicilie prestarent illis consilium, auxilium vel favorem publice vel occulte, neve super hoc societatem conjurationem aut fedus aliquod cum ipsis inirent. Si quis autem contra nostra monitionem et precepta premissa per se vel per alium quibuscumque dolo, fraude vel machinatione facerent, cujuscumque forent preeminentie, dignitatis, conditionis aut status, excommunicationis sententia, quam ex tunc in eos protulimus, ipso facto se noscerent innodatos, civitates quoque et communitates quaslibet, que contra monitionem et precepta eadem quocumque dolo, ingenio arte vel machinatione venire presumerent interdicti ecclesiastici sententie, quam ex tunc in illos promulgavimus, voluimus subjacere. Ad hec prediximus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis inferioris gradus prelatis quod si contra monitionem et precepta premissa vel eorum aliquod venire temptarent, nos eos omni ecclesie dignitatis honore, ceteros autem clericos, non prelationis officium sed dignitatis vel personatus seu alia beneficia obtinentes et privare curaremus obtentis et inhabiles reddere ad alia obtinenda prout facti qualitas suaderet; laicis vero cujuscumque preminentie, dignitatis, conditionis aut status et precipue temporaliter ipsi Ecclesie Romane subjectis expresse denuntiavimus quod si monitionem et precepta hujusmodi, contra ea per se vel per alium veniendo temere non servarent, nos tantam temeritatem impunitam remanere nolentes, ipsos feudis et aliis omnibus que a predicta vel aliis tenerent ecclesiis privare, vassallos eorum si quos habent a fidelitatis juramento quo tenerentur eisdem reddere penitus absolutos, et personis eorum citra mortis periculum et mutilationis expositis, ad expositionem bonorum illorum procedere prout culpe ipsorum exigerent et videretur expediens curaremus. Et licet Panormitane civitatis et civium nonnullorum castrorum illarum partium que contra eundem regem Sicilie rebellarent culpa gravis acerbiorem processum exigeret, nos tamen desiderantes quod civitatem, cives et loca predicta mansuetudo corriperet et a tanti erroris invio revocare erga eos non rigorem sed mansuetudinem votis nostris accomodam prosequentes, universitatibus predictorum civitatis, castrorum aliorumque locorum districte precepimus ut cujuslibet difficultatis et dilationis objectu sublato ad nostra ecclesie ac regis eorundem mandata redirent, quodque predictos molestatores, turbatores, occupatores, invasores aut dantes eis in hoc auxilium, consilium vel favorem in dictis civitate, castris, villis seu districtibus eorundem nullo modo receptare vel recipere attemptarent, nec ipsorum aut alicujus eorum dominio vel regimini se quoquomodo submitterent, neve ipsis vel eorum alicui contra ecclesiam vel regem predictos impenderent in predictis auxilium, consilium vel favorem publicum vel occultum; et nichilominus confederationes seu obligationes quaslibet, si que inter universitates easdem vel inter ipsas et quoscunque alios initas sive factas super occupatione ac invasione predictis, et juramenta de illis servandis vel alias pro predictis hinc inde prestita relaxantes omnino, universitatibus ipsis aperte prediximus quod nisi premissa celeriter adimplerent, contra civitatem, castra et villas eorum spiritualiter et temporaliter sic procedere actore domino curaremus quod pena docente sue temeritatis et superbie recognoscerent qualitatem. Ceterum licet dum hiis et aliis modis et viis filiorum salutem paterna venabatur affectio, reliquorum civitatum, castrorum, villarum ceterorumque locorum, civium et incolarum Sicilie in nostram notitiam perlata rebellio et precipue Massanensis qui, eorundem Panormitanorum immitati sevitiam, quamplures ex ministris et devotis regis ipsius post securitatem eis prestitam crudeliter trucidasse dicuntur, castrum regium loci ejusdem temerariis ausibus occupantes causam multe commotionis induceret. Nos tamen propterea non desistentes a ceptis, venerabili patre nostro G., episcopo Sabinensi, ad partes illas cum plene legationis officio tanquam pacis angelo destinato, bona in illis et pro illis partibus quesivimus, nec venerunt; pacem expectavimus et turbinis gravioris tempestas apparuit, machinatis jam dudum, ut communis quasi fert opinio, et subsecutorum consideratio satis indicat evidenter, dolis et insidiis revelatis. Siquidem Petrus rex Aragonum, quem carissimum filium nominari non patitur exprimendus inferius status ejus, de procedendo adversus Affricam quesito colore, insulam Sicilie, terram peculiarem ipsius ecclesie, militum et peditum caterva stipatus invadens, occupans et in illa ejusdem ecclesie pacem turbans, gravem contra eam seditionem excitans graviterque populum concitans, in eam temeritatis prorupit audatiam quod cum civitatibus aliisque locis, universitatibus, civibus et incolis ejusdem insule quibus ratione uxoris, filie scilicet memorati Manfredi, natorumque suorum se teneri pretendit, confederationibus, pactis et conventionibus, ut fertur, quin potius conspirationibus et scelestis factionibus initis, regium in regno predicto nomen usurpat, se regem Sicilie nominat et gerere pro Sicilie rege presumit, in majoris presumptionis augmentum prefato regi Carolo in suis litteris regi[s] Sicilie titulum subtrahendo, sicque non solum dictos Panormitanos, quos alias pluries per nuntios sollicitasse dicitur, in incepte contra dictum regem Carolum seditionis et rebellionis contumacia affirmavit, eos per se ac

gentem suam fovens, ipsisque favens in illa, et tam ipsos quam ceteros insule memorate rebelles adeo contra eandem ecclesiam eorum matrem et dominam concitavit, quod nonnulli ex eis et specialiter Messanenses, qui ante ipsius in insula memorata presentiam dicti legati nuntios humiliter admittebant, dominium ejusdem recognoscentes ecclesie nomenque publice invocantes, eos postea contumaciter admittere denegarunt, baculo arundineo, eidem scilicet regi Aragonum pretextu dictorum uxoris et filiorum ipsius, ut dicitur, i[n]nitentes, quos tamen uxorem, filios sive regem per eos seu ipsorum ratione in eadem insula vel alique dicti Sicilie regni parte jus aliquod non habere premissa declarant, et nos nichilominus decernimus et etiam declaramus. In que autem crimina falsa regie dignitatis, immo et simplicis magistratus assumptio, seditio violentieque cum armis commissio incidant; quibus adicendi sint penis talium patratores non est opus exprimere quia, id nota et vetustussima decreta sanxerunt. Nec leve hiis pondus adicitur si ejusdem regis et regni Aragonum conditio explicite describatur. De archivio namque ipsius ecclesie monimenta prodeunt manifeste testantia qualiter pie me. Innocentius papa III[us], predecessor noster, quondam Petrum regem Aragonum, dicti Petri Aragonie regis avum, .. Arelatensi ejus temporis archiepiscopo et aliis personis ecclesiasticis nec non et quampluribus suis associatum proceribus, per mare ad Sedem Apostolicam accedentem, ut inibi ab eodem predecessore Innocentio militare cingulum et regium acciperet dyadema, honoravit multipliciter honorifice ac benigne recepit, et in ecclesia sancti Pancratii martiris juxta Transtiberim per. bo. me. Petrum Portuensem episcopum faciens in regem inungi, deinde propriis manibus coronavit et regalia insignia universa, mantum videlicet et colobium, septrum et pomum, coronam et mitram, que ad opus ipsius non solum speliosa sed et pretiosa parari fecerat, ex more in regum coronationibus observando largitus eidem, ab ipso juramentum corporale recepit, per cujus religionem memoratus rex inter cetera fidelitatem obedientiam ipsi summo Pontifici ejusque successoribus et ecclesie Romane regnumque suum in ipsius obedientia fideliter conservare promisit, ac demum idem rex, cum multo tripudio et applausu coronatus, juxta ipsum predecessorem Innocentium ad basilicam sancti Petri apostolorum principis rediens, super illius altare septrum et diadema deposuit et militarem ensem de manu ejusdem predecessoris accepit, denique suum regnum, antea censuale a suis predecessoribus eidem ecclesie constitutum, cupiens principali post Deum ejusdem beati Petri et Apostolice Sedis protectione muniri, predecessori eidem Innocentio et per eum ipsi sacrosante Apostolice Sedi obtulit, illudque sibi et ejus successoribus imperpetuum divini amoris intuitu et pro remedio anime sue et progenitorum suorum novo adjecto censu constituit censuale, pollicendo adiciens et adiciendo pollicens quod ipse ac successores sui specialiter eidem Sedi fideles et obnoxii teneantur; hec autem perpetua lege fore servanda decernens, ut hujusmodi regalis concessio firmitatem inviolabilem obtineret, ipsam in scriptis redactam de procerum curie sue consilio, presentibus dicto Arelatensi archiepiscopo, Sanctio patruo suo, Hugone de Baucio et Arnaldo de Fatiano, suis baronibus, sigilli sui munimine roboratam eidem Innocentio predecessori concessit. Nunquid igitur premissa collata pariter et sollerti examinatione discussa dictum regem Aragonie nepotem fidelitatis, ad quam memoratus avus suus, cujus est in eodem Aragonie regno heres, ipsum sicut et successores suos ceteros tam publice tam sollempniter obligarat, eidem ecclesie debitorem et violatorem publicum reum grandis infidelitatis et dampnabilis non accusant? profecto fidei debite violatio violantem procul dubio arguit infidelem, presertim cum premissa non leviter aggravet fraudolenta confictio, qua idem rex Aragonie nepos, non absque fraudis comento notabilis, fincxisse detegitur et apud nos etiam per sollempnes nunctios affirmasse quod cum sumptuoso et sollicito apparatu ad Dei et ecclesie servitium et exaltationem catholice fidei potentie sue brachium dirigebat; quod tamen contra fidei ejusdem utilitatem dictum regem Carolum crucesignatum in Terre Sancte subsidium et publice ad Dei ejusdemque fidei obsequia prosequenda dispositum, nulla diffidatione premissa, quod multorum juditio prodictionis notam non effugit, hostitiliter impetendo, necnon contra ipsam matrem ecclesiam ejus, ut predicitur, terram invadendo et occupando direcxit. Nec eum excusat sed accusat potius quod ad partes Africe insule predicte vicinas diebus aliquibus declinavit. Id enim ipsum ideo concinasse probat immo et convincit eventus ut oportunitate captata com[m]odius iniquitatem quam conceperat parturiret, maxime cum per suos nuntios missos exinde pluries dictos Panormitanos sollicitasse, ipsis in presumpta malitia consilium et auxilium obtulisse dicatur, nec sit verisimile quod eandem Africam terram quippe diffuso vastam ambitu, refertam incolis non prorsus imbellibus, crebris munitionibus, ut habet fama, non vacuam, opibus et aliis opulentam, cujus invasionem vix multorum regum principumve quorumcumque potentia coacervata presumeret, ipse ad hoc procul dubio divitiis impar et juribus, cum comitiva tam modica bellatorum, solus assumeret invadendem. Nunquid et iterum hec non pa-

.tenter ostendunt quod sepefatus rex Aragonie nepos, tanquam insule memorate dicti regni Sicilie partis non modice manifestus invasor et occupator, ac Panormitanorum rebellium et seditionis, commotionis seu concitationis pacisque turbationis contra prefatum regem Carolum mote notorius fotor et fautor, et adversus ipsam ecclesiam actor et factor suique complices, comites, satellites et ministri premissam per nos in festo predicto latam in nostris monitionibus, preceptis et inhibitionibus non parentes, excommunicationis sententiam incurrerunt, nec absolutionis vassallorum suorum a juramento fidelitatis, si quo tenentur eisdem, privationis feudorum que ipsi a Romana vel quibuscumque aliis tenent ecclesiis et expositionis personarum citra mortem et mutilationem bonorumque suorum comminatum in eodem festo periculum evitarunt. Universos autem sepefate rebelles insule, scilicet Messanenses Agrigentini et ceteros civitatum, castrorum, villarum aliorumque locorum ejusdem insule cives, habitatores et incolas, cujuscumque sint preminentie, dignitatis, conditionis aut status, qui dictis Panormitanis in pertinatia rebellionis assumpte saltem se illis simili audatia sociando, et eos proinde validiores et firmiores in illa reddendo, necnon societatibus, confederationibus, pactionibus, penarum et juramenti adjectione firmatis, ut dicitur, uniendo faverunt et tam alios quam Panormitanos eosdem qui prefato regi Aragonie nepoti contra prohibitiones et monita nostra premissa intendere in invasione ac occupatione predictis ipsum recipere ac receptare, se illius regimini submittere, sibive contra ecclesiam vel regem Carolum predictos favorem et auxilium impendere presumpserunt, eisdem sententie subjectos et periculo esse procul dubio liquet expositos, civitates vero, castra, villas et alia loca predicta necnon et universitates ipsorum ecclesiastico supposita interdicto. Hec sunt igitur que per eundem regem Aragonie nepotem Deo et ecclesie servitia offeruntur, hec sunt que ipsius ecclesie prosequi se jactabat obsequia, hec fidei catholice incrementa; sic exaltationem religionis Christiane prosequitur, sic procurat; sic Dei, fidei, ecclesie ac religionis earundem hostes persequitur, sic impugnat; talibus in se regalem dignitatem intitulat; talibus titulis vitam suam, famam genusque decorat. Licet itaque tantis excessibus excedentiumque demeritis processus gravior deberetur et ad executionem premissarum comminationum procedere non injuste possemus, immo etiam sicut predictorum consideratio perhibet deberemus, quia tamen nescit a caris caritas etiam lesa recedere, inductu paterne caritatis inducimur ut, cum simus licet insufficientibus meritis illius vicarii qui non mortem peccatorum sed ut convertantur et vivant se velle fatetur, regem Aragonie et alios prefatos denuntiationibus, monitionibus, mandatis, prohibitionibus et comminationibus ad conversionem celerem, ne in peccatis, iniquitatibus et sententiarum laqueis, quibus se, ut premissa docent apertius, involuerunt, in morte obdormiant, excitemus. Ideoque presente hac multitudine copiosa fidelium, de fratrum ipsorum consilio, denuntiamus eosdem Petrum regem Aragonie nepotem, suos comites, complices, satellites et ministros ac Insule memorate rebelles ex supradictis causis excommunicationis, civitates, castra, villas et alia loca prefata necnon et universitates ipsorum interdicti premissis latis per nos sententiis subjacere, de novo tam in regem et alios sepefatos quam in universitates, castra, villas et loca predicta ex causis eisdem, et propter auctam eorum contumaciam in non parendo nostris monitis et preceptis et a nobis prohibita pertinaciter prosequendo diutius, similes sententias promulgantes. Ipsum autem regem et exteros universos et singulos, qui cum eo seu alias in auxilium presentis turbationis sive rebellionis dictam insulam intraverunt, vel inibi existentes eidem turbationi seu rebellioni quomodocumque faverunt, attente monemus eisque districte precipimus ut ab hujusmodi suis excessibus et offensis desistentes omnino insulam eandem penitus exeant, nunquam illuc in nostrum ecclesie vel regis Caroli quo ad premissa qualecumque prejudicium redituri; adicientes ne quis de novo ad id eandem insulam intret vel aliquam ejusdem Sicilie regni partem publice vel occulte impetat, turbet aliquatenus vel molestet; universis quoque civibus, incolis, habitatoribus et universitatibus civitatum et aliorum locorum ipsius insule cum similibus monitione ac districtione jubemus, ut regem Aragonum et exteros memoratos de ipsa insula prorsus expellant, numquam eos vel alios ad premissa vel similia inibi recepturi; districtius insuper inhibemus ne idem rex Aragonie se regem Sicilie nominet, sigillum regium sub intitulatione regni Sicilie assumat vel utatur assumpto, neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona vel jura quecumque in eo aut aliqua ejus parte concedat vel tanquam rex Sicilie quicquam agat, neque dominium vel subjectionem aliquam in quascumque singulares personas aut terras ipsarum seu potestariam vel quamlibet rectoriam sive officium quocumque nomine censeantur in civitate vel quovis alio loco maxime ipsius regni Sicilie aut alicujus partis Italie in nostrum, ecclesie aut regis Caroli eorundem quomodocumque vel qualecumque gravamen per se vel per alium recipiat vel acceptet, aut cum eis vel eorum aliquo in prefatorum ecclesie ac regis gravamen, ut predicitur, societatem sive aliam confederationem contrahat vel observet qualitercumque contractam,

neque singulares persone premisse vel alie undecumque civitates vel alia loca eidem in Ecclesie ac regis Caroli predictorum persecutione hujusmodi persistenti vel alii pro eo seu in favorem ipsius premissa concedant vel aliquid premissorum, vel ipsum aut alium pro eo, vel in favorem ipsius ad predicta vel eorum aliquid eligant, nominent recipiant vel assumant. Nec ipse rex Aragonum vel quavis alius eadem singulares personas civitates et loca vel universitates ipsarum specialiter, aut cujuscumque partis regni Sicilie, ut se vel terras suas ejusdem regis Aragonum dominio vel obedientie cuicumque supponant, aut eum vel alium pro eo seu in favorem ipsius in potestatem, rectorem vel ad aliud quodcumque officium, ut predicitur, eligant, nominent vel admittent, sive cum eo societatem vel confederationem aliquam contrahant vel qualitercumque contractam observent, aut quod cives, incole, habitatores, civitates vel alia loca predicta seu universitates ipsorum, presertim cujuscumque partis ejusdem regni Sicilie, a nostra, Ecclesie, regis Caroli predictorum fidelitate seu devotione quomodolibet avertantur, vel aversa etiam in hujusmodi aversione persistant per se nuntium vel litteras inducere aut donis, promissionibus seu alio modo quovis allicere vel etiam sollicitare presumant, neve singulares persone, civitates, castra ville aut loca prefata se dicti regis Aragonum hujusmodi Ecclesie ac regis Caroli persecutioni quomodolibet insistentis dominio, regimini vel obedientie qualicumque subiciant, sive in nostrum, Ecclesie seu regni Sicilie prejudicium vel gravamen, ut predicitur, ipsum regem Aragonum litteras, nuntios suos, vasa quevis apta cuicumque navigio gentemve recipiant vel receptent vel ad ipsum vadant, eive litteras mittant aut sibi, genti vel nuntiis suis aut aliis pro eis, maxime in aliqua parte ipsius regni Sicilie obediant vel intendant, fodrum ministrent, equos, arma vel vasa hujusmodi sub venditionis titulo aut aliter quomodocumque concedant, seu ab ipso rege Aragonum vel alio pro eo privilegia, immunitates, feuda vel largitiones quaslibet in eodem regno Sicilie, quas constat et nos nichilominus declaramus et decernimus non tenere, vel alibi occasione instantis negotii ejusdem regni Sicilie, aut stipendia ubicumque contra nos, Ecclesiam vel regem Carolum predictos recipiant, vel pro receptis promissum audeant servitium exhibere aut alias prestare consilium vel favorem publicum vel occultum, nec cum ipso rege Aragonum vel alio pro ipso seu in favorem ipsius societatem, colligationem vel quascumque conventiones in nostrum, Ecclesie aut regis Caroli eorundem qualecumque dispendium contrahant aut contractas, etiam sub vincula juramenti vel quarumlibet adjectione penarum sive pactorum, audeant observare. Singulariter autem Michaelem Paleologum, qui se Imperatorem nominat, quemque super hiis et precipue super impenso in predictis memorato regi Aragonum nepoti contra nos, eosdem Ecclesiam et regem Carolum consilio, auxilio et favore necnon pactis, conventionibus et confederationibus initis cum eodem argumenta verisimilia deferunt, vox preterea publica et communis continue quasi accusationis incessat, omnesque sibi de facto vel quomodocumque subjectos attente monemus eisque districte precipimus ut omnia monitiones, precepta, inhibitiones premissa que ipsos Michaelem et subditos contingunt, vel possunt quequomodo contingere, vel in eis seu quoad eos qualitercumque locum habere, que omnia et singula voluimus pro nominatim singulariter et expresse repetitis haberi et velut taliter repetita robur efficatiamque sortiri, diligenter observent eisque studeant in omnibus et per omnia humiliter obedire. Alioquin tam ipsos regem Aragonum nepotem et Michaelem Paleologum quam alios universos et singulos dictis nostris monitionibus preceptis vel inhibitionibus non parentes, cujuscumque sint preminentie, dignitatis conditionis aut status ecclesiastici vel mundani excommunicationis sententia, quam in eos de ipsorum fratrum consilio exnunc ferimus, perinde innodatos esse decernimus ipso facto ac si expressi fuissent in hujusmodi processus nostri serie nominatim, civitates vero, castra et alia loca quelibet necnon universitates que ipsis monitionibus, preceptis et inhibitionibus non parebunt ecclesiastico interdicto, quod ex nunc promulgamus in illa, esse volumus eodem modo subjecta. Interdicta vero premissa sic arte precipimus observari, ut in locis que inciderunt in ea vel in futurum inciderint nulla ecclesiastica sacramenta, exceptis dumtaxat baptismate parvulorum et penitentiis morientium, ministrentur, nulla divina celebrentur officia, nisi solum missarum sollempnia, que in cathedralibus ac aliis collegiatis et parrochialibus ecclesiis ad conficiendum corpus Christi morientibus ministrandum, submissa voce, clausis januis, interdictis et excommunicatis prorsus exclusis, semel tantum in septimana permittimus celebrari, non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis Cisterciensibus, Predicatoribus, Minoribus vel aliis religiosis aut secularibus personis, dignitatibus, civitatibus, castris, locis, collegiis vel universitatibus quibuscumque sub quavis forma vel expressione verborum ab eadem Sede concessis, que omnia quoad hoc omnino viribus vacuamus. Et nichilominus societates, colligationes, conventiones hujusmodi et quaslibet alias factas et etiam faciendas in favorem dicti regis Aragonum quoad instans negotium ejusdem regni Sicilie, aut in Ecclesie seu regis Caroli predictorum qualecumque dispendium vel grava-


D04624205N
Duke University Libraries